



Jo. Lamio
Omnigenæ doctrinae et eruditionis
Viro
Vincentius Dom. Fassinius Ord. Praed.
Hujus Commens. Scriptor.

DE SINGULARIBUS
EUCHARISTIÆ
USIBUS,

DE SINGULARIBUS
EUCHARISTIÆ
USIBUS
APUD VETERES GRÆCOS
COMMENTARIUS.



BRIXIÆ. MDCCLXIX.

Excudebat JOANNES MARIA RIZZARDI.

SUPERIORUM FACULTATE.

Non eo tendunt universa quæ scribo, quod velim ea nunc temporis in usum revocari. Sed hæc iccirco affero, & quod scitu præclara sunt, & ut Veterum exemplo nostri ad illa, quæ hodie præscribuntur, incitentur.

Jo. Fronto in *Familia Christ.*

PRÆSTANTISSIMO VIRO

FELICI NICOLAO DURANDO

VILLÆ COMITI

&c.

DIONYSIUS SANDELLIUS

S. P. D.

TUO *præclaro nomini ; Comes Dulcissime , hunc inscribere volui Commentarium , quem aliud fere agens anno superiore scripseram , modo vero in lucem edidi , ut amicis mihique etiam ipsi satisfacerem . Ea enim tuarum virtutum præstantia est , is favor tui in litte-*

ras & amor, ut te illum haud improbaturum facile crediderim, quum sacrum hoc eruditionis genus excolere ac amare soleas, & Scriptores harum rerum singulari foveas & excipias comitate. Quam equidem cum omnes qui te norunt experiuntur, tum ego multis nec levibus affectus cumulatusque beneficiis inhumanus plane fuissem ac difficilis, si hanc occasionem urgere neglexissem, qua nobilissimo tuo in sacras severioresque musas genio ac animo, & tuæ tam insigni in me benevolentiæ inciperem respondere. Etsi vero pro multiplici doctrina & eruditione, qua abundas & præstas, minima ac parva esse, quæ scribo, vel ipse cognoscerem, cum tamen illorum officiorum, quibus me Augustæ Tauri-

rinorum excepisti, nec oblivisci possem nec deberem, confidenter dum ea evulgarem arbitratus sum, hæc etiam in lectissima Bibliotheca, quam exquisito prorsus judicio ad tui delicias & eruditionem, atque ad doctorum quoque virorum adjumentum comparasti, locum habitura; unde mihi fiat & accedat animus ad aliquid majore studio, & litterarum luce dignius conscribendum. Quod etsi sentio quam mihi arduum ac difficile sit, enitar tamen Te statore, tuisque sub auspiciis quæ jam incœpi ad exitum perducere, ut hoc modo etiam intelligas me egregia consilia tua, tuique memoriam, mibi sane jucundissimam, in oculis ac sinu continuo ferre. Vale, Vir Clarissime, & ne meum animum ex

hoc tenui munusculo, sed ex animo rem ipsam ut spectes etiam atque etiam rogo. Iterum vale.

Scribebam Brixiæ Nonis Februarii MDCCLXIX.

NOI RIFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la fede di revisione, ed approvazione del P. F. Pio Petrelli Inquisitor Generale del Sant'Offizio di Brescia, nel libro intitolato: *De singularibus Eucharistiæ usibus apud veteres Græcos Commentarius &c. MS.*, non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo licenza a Giammaria Rizzardi Stampatore di Brescia, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Publiche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 24. Maggio 1769.

[*Angelo Contarini Pr. Rif.*
[*Alvise Vallaresso Rif.*
[*Francesco Morosini 2. Cav. Pr. Rif.*

Registrato in Libro a carte 9. al Num. 50.

Daviddc Marchesini Segret.

Registrato in libro al Magistr. contro la Bestemia. a carte 10.

Andrea Granarol Segr.

CA-

)(*)(

CASTIGATIONES.

Pag. 21. N. (a) Hist. c. 36. — Hist. l. 4. c. 36.

33. N. (a) Act. II. — Act. SS.

44. l. 3. πένθος — πένθους

79. l. 8. φιλύα — φιλία

80. N. (f) Panico — Punico

83. l. 20. ἀδελφαποιητὸν — ἀδελφοποιητὸς

COM-

COMMENTARII
ΠΕΡΙΟΧΗ.

I. *GRaci Veteres, teste Cyrillo Hierosolymitano, pane Eucharistico oculos sanctificarunt.* II. *Aliis etiam in Ecclesiis idem usus viguit, adfirmantibus Phurnesio, & Joanne Damasceno, cujus tamen verba latius extendit Petrus de Marca.* III. *Ad hunc Græcorum usum videntur accedere binæ consuetudines latinorum, patenam tacta hostia olim osculantium & manus versus mysteria Eucharistica extendentium ad veterum imitationem.* IV. *Quemadmodum Christi Corpore, ita & ejusdem Sanguine sensus Græci sanctificarunt, teste eodem Cyrillo & Jo: Chrysostomo.* V. *Idem usus confirmatur Cyrilli Alexandrini, Balsamonis & aliorum testimoniis.* VI. *Quæ litteraliter fere intelligenda sunt. Mos hic apud Latinos nunquam obtinuit, neque id sane probant illa S. Agnetis verba* Sanguis ejus ornavit genas meas, *ut conjicit Berlendius.* VII. *Memoratos vero usus Græci induxisse videntur, ut gratiam & sanctitatem uberiorem ex sacro contactu perciperent, & suam fiduciam erga Eucharistiam demonstrarent;* VIII. *Ac denique suum in idem sacrum mysterium amorem, & reverentiam proderent, exemplo veterum, quorum certa consuetudo pocula humore madida deosculandi, oculisque admovendi ex Luciano refertur. Eandem Græcorum in Eucharistiam reverentiam luculenter ostendit altera consuetudo eorum manu caput con-*

tingendi, qua Eucharistiam perceperunt. IX. *Usus porro memorati summae illi curae non officiunt, quam latis legibus & canonibus stabiliverunt, ne Sanguis funderetur, aut aliqua panis Eucharistici particula disperderetur.* X. *Jacobitae Christi Sanguinem in volam Episcopi Ordinantis non effundunt, ut docuit Morinus.* XI. *Circa diligentiam & curam panis Eucharistici singularis Ecclesiae Constantinopolitanae consuetudo adducitur, qua pueros diutius ejusdem reliquiis communicarunt.* XII. *Haec eadem fuit Galliae Ecclesiarum disciplina saeculo sexto. Ex quibus colligitur primis etiam temporibus Eucharistiam sub sola specie panis administratam fuisse.* XIII. *Graecorum singulares usus persequendo Magni Basilii factum exponitur, qui Christi Corpus secum sepeliendum curavit. Disseritur hac occasione de Columbis aureis, & Turribus, in quibus veteres Eucharistiam reservabant.* XIV. *Rem fere similem quam Basilius, S. Benedictus peregit, qui supra pectus defuncti Monachi, cujus corpus terra projecerat, Eucharistiam poni jussit.* XV. *Idem usus cum mortuis sepeliendi Eucharistiam comprobatur etiam ex vitis SS. Othmari, & Guthberti. Sacri quoque Calices aliquando cum mortuis sepulti sunt, neutiquam vero Christi Sanguis.* XVI. *Basilii Magni singularis Eucharistiae usus ratio adfertur, conjiciturque secum eandem sepeliendam praecepisse in fidem futurae resurrectionis, & ne mortuus a Christo Domino separaretur.* XVII. *S. autem Benedicti facinus ex peculiari instinctu, & confidentia in Eucharistiam pensandum esse suadetur.*

detur. XVIII. *Quod Sanctorum virorum exemplis confirmatur, qui aut modis insolitis sacrum fecerunt, ut Lucianus Martyr, Theodoretus Cyri Episcopus*, XIX. *& Gregorius Episcopus, Gregorii Nazianzeni pater*, XX. *aut ad res insolitas adhibuerunt Eucharistiam, quemadmodum S. Gorgonia ad corporis sanitatem adsequendam*. XXI. *Cum usu vero descripto sepeliendi Eucharistiam non est confundendus abusus ille mortuos communicandi, a Græcis præcipue in defunctos Episcopos usitatus, cujus abusus rationes non satis congruas Balsamon, Albaspinæus & alii adtulisse videntur*. XXII. *Verosimile fuerit nonnullos populos id præstitisse, ut sacrum facerent morem Paganorum, obolum in ore mortuorum includentium, ut Charonti satisfacerent*. XXIII. *Quam conjecturam probabilem efficiunt alia quædam, quæ Christiani usi sacris mysteriis peregerunt ad eorumdem Paganorum imitationem*. XXIV. *Nomine* Viatici *antiquitus Eucharistia insignita est, neque idem nomen sortitam esse dici potest ex abusu mortuos communicandi*. XXV. *Panis Eucharistici usibus fere enumeratis ii expenduntur, in quibus Græcos veteres Sanguinem Christi adhibuisse a multis creditur. Hos inter Pyrrhi Constantinopolitani Patriarchæ condemnatio numeratur, quam, Theophane narrante, Theodorus I. R. P. calamo in sacrata Christi Sanguine intincto subsignavit*. XXVI. *Quod Theodorum fecisse secundum peculiarem Græcorum ritum Antonius Pagius opinatus est*. XXVII. *Simili ceremonia Photium condemnatum fuisse prodit Nicetas, cognomento*

mento David Paphlago , cujus tamen narrati dubia videtur . XXVIII. *Idem adserendum de Pyrrhi exauctoratione , quum aliis omnino modis & ceremoniis Romani Episcopi hæreticos consueverint condemnare.* XXIX. *Hinc nec ipse Theodorus simili ritu Paullum , Pyrrhi successorem , exauctoravit.* XXX. *Theophanes primo ex veteribus Christi Sanguinis in Pyrrhi condemnatione adhibiti meminit . Silent de hac re PP. Concilii Lateranensis a. 649. celebrati.* XXXI. *Silet pariter scriptor* Libri Pontificalis, *tragicam Pyrrhi historiam fuse commemorans .* XXXII. *Auctor græcus* Libelli Synodici *non majorem promeretur fidem quam Theophanes , quem diligenter exscripsit.* XXXIII. *Quemadmodum etiam auctor* Historiæ Miscellæ, *qui Anastasii Historiæ ex Theophane excerptæ diligenter adhæsit.* XXXIV. *Nutat vero etiam Theophanis hac in historia fides , cujus Chronographia inordinata est , & narrationes continet contradictorias , judice Goario .* XXXV. *Idem tulerunt judicium Caveus , & Oudinus ; sed hujus conjecturæ , quibus Chronographiam Theophani nititur abjudicare, ineptæ sunt,* XXXVI. *Consentiunt citatis auctoribus illustres Galliæ Scriptores , qui merito conqueruntur fabulosa sæpe Theophanem enarravisse.* XXXVII. *Hinc oritur suspicio singularem illam ceremoniam collegisse Theophanem ex vulgi rumore, cui vulgando opportunissimi erant Monothelet æ, Romanæ Ecclesiæ hostes infensissimi .* XXXVIII. *Etsi autem singulare Theodori factum certum constitueretur , & indubium , male inde tamen Protestantes colligе-*

ligerent, ipsum non credidisse realem Christi in Eucharistia praesentiam; XXXIX. *Quum haec & alia insolita Sanctorum gesta eandem statuant, & probent.* XL. *Excussa Pyrrhi Patriarchae condemnatione caeteri singulares Graecorum usus expenduntur; ac cum primis usus ille jurandi sibi mutuo fraternam fidem hausto Christi poculo; quem morem veteres PP. induxerunt, ut Gentilium consuetudinem feram & barbaram, humanum scilicet cruorem ebibendi, sacram facerent.* XLI. *Qui hoc modo sibi fraternam fidem jurabant* fratres *appellati fuere.* XLII. *Ad fidem dandam consuevere etiam Graeci acta crucis signo, Christi sanguine effícto, subsignare, vel saltem eadem ad praesentiam sacrorum mysteriorum firmare. Hoc modo Bardae Caesari fides data est a Michaele Imp. Theophili filio, ac Basilio, teste Leone Grammatico.* XLIII. *Meminit ejusdem rei Leo Hamartolus.* XLIV. *Crucis porro signo veteres ea subsignabant, quae sancta & inviolata esse volebant.* XLV. *Vestigia hujusce usus acta subscribendi calamo in Christi Sanguine intincto adparent in foederis instrumento Armeniorum, confícto illo quidem, sed tamen antiquo, ut censet Lupus Dis. de VI. Syn. c. 5.* XLVI. *Alterum exemplum Latinorum suppeditat Baluzius in notis ad Agobardum.* XLVII. *Quam Graeci aliique Orientales sumere Eucharistiam consuevere ut fidem darent, eadem Latini usi sunt, ad objectorum criminum purgationem.* XLVIII. *A Graecorum usibus singularibus eximenda non est consuetudo aquam calidam, facta consecratione, in calicem infundendi.*

dendi. XLIX. *Hanc consuetudinem immerito exagitarunt cum Humbertus Cardinalis, tum alii Latinorum in Concilio Florentino*. L. *Alteram, sed recenter, Græci consuetudinem invexerunt; præsanctificatum nimirum ægrotorum panem Christi Sanguine tingendi*. LI. *Id vero faciunt vel Sanguinis in ligno Crucis a Christo Domino effusi significandi caussa, vel ut exprimant Redemptoris ejusdem resurrectionem*. LII. *Non vera quasi Communionem sub utraque specie hoc usu infirmis se præbere profiteantur. Hanc sub sola specie panis antiquitus administrare soliti fuerunt, ut constat cum multis exemplis, tum præcipue ex senis Serapionis Historia, quam Eusebius recitat*. LIII. *Panem porro Eucharisticum, ut facilius ab ægrotis deglutiretur, aqua vel ut probabilius videtur, vino madefaciebant*. LIV. *De hac intinctione loquitur Canon 76. Concilii IV. Carthaginiensis, quo perperam Franciscus Berlendius usus est ad probandum antiquitus Christi quoque Sanguinem conservatum fuisse*. LV. *Non bene quoque idem scriptor sensum intellexit Epistolæ Joannis Chrysostomi ad Innocentium I., quæ explicatur, & Commentarius absolvitur*.

De

DE fingularibus, qui olim apud Græcos fuerunt, Euchariftiæ ufibus fcribere ingredimur, ceu de re dignisfima Commentario. Horum ufuum fane aliquot, quorum cauffa ac ratio non fatis explorata fuerat, nec diligenter, uti par videbatur, origo hactenus expenfa, magnis etiam Viris difplicuerunt: alii temere & inconfulto prorfus reprehenfi: alii denique crediti, Græcifque veteribus adjudicati, qui nunquam viguerunt. Noftri erit igitur inftituti ac propofiti fingularium maxime atque infignium horum ufuum cauffas & origines inveftigare, factaque, quibus innituntur, accurate perpendere; unde pleraque Euchariftica Græcorum difciplinæ capita pro noftro ingenio collustrentur; fimulque clarum fiat non pauca Sacramentorum Ecclefiæ Catholicæ ofores jactare parum critice nimifque confidenter.

I. Singulares porro inter ritus usúsque veterum Græcorum, de quibus, uti modo diximus, in hoc Commentario sumus scripturi; is antiquior videtur, eorumque, a quibus præceptus fuit, auctoritate minus obnoxius reprehensioni; quo scilicet nonnullis in Ecclesiis Christiani panem Eucharisticum manibus recipientes secundum morem ferme omnium Ecclesiarum eodem sensus corporis sanctificarunt. Hic fuit mos cum primis Hierosolymorum, quibus præcipiebat Cyrillus, illustris eorumdem Antistes, ut oculos sacro pane contingerent (a): Προσιὼν οὖν, inquit, μὴ τεταμένοις τοῖς τῶν χειρῶν καρποῖς πρόσερχου, μηδὲ διῃρημένοις τοῖς δακτύλοις· ἀλλὰ τὴν ἀριστερὰν θρόνον ποιήσας τῇ δεξιᾷ, ὡς μελλούσῃ Βασιλέα ὑποδέχεσθαι· καὶ κοιλάνας τὴν παλάμην, δέχου τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, ἐπιλέγων τὸ, Ἀμήν· μετ' ἀσφαλείας οὖν ἁγιάσας τοὺς ὀφθαλμοὺς τῇ ἐπαφῇ τοῦ ἁγίου σώματος, μεταλάμβανε. *Accedens autem ad communionem non expansis manuum volis accede, neque digitis disjunctis, sed sinistra veluti sedem quandam efficias dexteræ, quæ tantum Regem susceptura est, & concava manu suscipe corpus Christi, dicens, Amen. Oculis inde sancti Corporis*

(a) Catech. V. Mystagog.

ris attactu circumspecte sanctificatis, communica. Noscis hoc Cyrilli testimonio Hierosolymitanos non solum oculos sacro pane tetigisse, sed modum etiam tenes, quo illum excipiebant, concava nimirum manu, uti etiam Sexta Synodus præscripsit (a). In veteri Hagiothecio, quod vir præclarissimus Paullus Paciaudius, una cum selectis Antiquitatum Christianarum monumentis, docte prorsus & erudite explicatis, evulgavit (b), ad illum modum compositæ visuntur manus S. Mariæ Ægyptiacæ, a Zozima Abbate & Heremicola panem Angelorum recipientis.

II. Usum a Cyrillo modo memoratum, ejus ætate novum haud fuisse Hierosolymis, patet ex eadem Catechesi, quæ est de sacra Liturgia. In hac plane Cyrillus posteaquam morem hunc cum probatis receptisque ritibus memorasset, admonet demum traditiones hujuscemodi inviolate custodiendas esse; quod dicere non poterat, si ille aut suo tantum tempore fuisset invectus, aut modicam habuisset antiquitatem. Sed nec peculiarem fuisse Hierosolymis, nec tantum Cyrilli ætate viguisse, aliis discimus testimoniis Scriptorum. Eum sane memorat S. Joannes Da-

(a) Can. III.

(b) De Cultu S. Jo: Baptistæ &c. Diss. IX. pag. 389.

mascenus, & ad frontem ac labia extendit cum ait (a): Προσέλθωμεν αὐτῷ πόθῳ διακαεῖ· καὶ σταυροειδῶς τὰς παλάμας τυπώσαντες, τοῦ ἐσταυρωμένου τὸ σῶμα ὑποδεξώμεθα· καὶ ἐπιθέντες ὀφθαλμοὺς, καὶ χείλη, καὶ μέτωπα τοῦ θείου ἄνθρακος μετάλαβωμεν, ἵνα τὸ πῦρ τοῦ ἐν ἡμῖν πόθου προσλαβὼν τὴν ἐκ τοῦ ἄνθρακος πύρωσιν καταφλέξῃ ἡμῶν τὰς ἁμαρτίας, καὶ φωτίσῃ ἡμῶν τὰς καρδίας, καὶ τῇ μετουσίᾳ τοῦ θείου πυρὸς πυρωθῶμεν, καὶ θεωθῶμεν. *Accedamus ad eum desiderio ardenti. Manum in modum crucis formantes Crucifixi corpus suscipiamus, & apponentes Communioni oculos, labia, & frontem divini carbonis fiamus participes, ut ignis desiderii, qui in nobis est, ex eo carbone accendatur, & comburat peccata nostra, & illuminet corda nostra, & participatione divini illius ignis igniamur, & deificemur.* Quæ verba non bene, ita uti ego arbitror, intellexit Petrus de Marca (b), dum credidit iisdem significasse Damascenum accedentes ad communionem ex humore labris adhærente ob Sanguinem Christi exceptum sensus inunxisse. Nam id de solo Corpore affirmat; etsi aliis in Ecclesiis sanguinem

(a) De Fide Orthodoxa Lib. 4. c. 13.
(b) In Notis ad Concil. Claromont. N. ad Can. XXVIII. inter ipsius Differt. Ecclesiast.

nem quoque adhiberent, quemadmodum post pauca dicemus. Testatur autem idem, quod Damascenus, Joannes Phurnesius, cujus Epistolam de Ritibus a Græcis immutatis, præcipue circa Communionem, e cimeliis suis edidit Allatius (a). En Phurnesii verba: οὕτως ἀπεκατέστη κατὰ μικρὸν τὸ τῆς οἰκονομίας μυστήριον· ἐπεὶ δὲ μὴ μόνον οἱ τοῦ βύματος, ὥσπερ νῦν, ἀλλὰ καὶ πάντες ὁμοῦ ταῖς χερσὶ τὸν οὐράνιον ἄρτον δεχόμενοι, χείλεσί τε περιπτυσσόμενοι, καὶ ὀφθαλμοῖς ἐπιτιθέντες, οὕτως αὐτὸν ἤσθιον. *Sic paulatim œconomiæ mysterium substitit; cum etiam non solum sacris initiati homines, ut nunc quoque, sed omnes simul panem cœlestem accipientes, labiisque deosculantes, & oculis apponentes, ita demum consumebant.* Alia in re clara atque aperta adferre testimonia ut longum sit, ità minime necessarium.

III. Cur porro Græci descripta hactenus uterentur consuetudine, infra explicabimus: modo animadvertimus ad hunc usum aliqua ratione accedere morem illum, qui olim erat in Ecclesia Aurelianensi, in cujus vetusto Missali edito A. 1504. post orationem *Libera nos &c.* dictisque illis verbis *cum omnibus Sanctis* præ-

(a) *De Consensu &c. c. 13. §. 15.*

cipitur celebranti : *Hic tangat hostiam patena, & tacta hostia ponat patenam ad os, & ad oculos, & signet se dicens &c.* Accedere pariter ad eumdem usum videtur altera consuetudo Melitæ aliisque in locis usurpata, ut refert Macrius (a) quod nimirum dum Sacerdos elevat sacra mysteria, populus adsistens manus volam versus ipsa extendat, indeque oculos religiose tangat; ostendens hoc modo se cordis affectu peragere, quod veteres immediata manus actione, reique sacræ contactu exsequebantur. Sed hæc fortasse in cultus signum ad veterum imitationem peracta sunt; nam isti, observantibus Joanne Frontone (b), Barnaba Brissonio (c), & Joanne Lomejero (d), quum objectum adorandum non poterant osculo contingere, extendebant manus in illud, indeque ad os deferebant. Quod osculum ab Achille Tatio vocatur (e) ἀποςολιμαῖον φίλημα, *osculum missile*; unde jactari oscula solent, quæ ore ad os dari non possunt. Hinc intelliguntur, quæ ajebat Minutius Felix in Octavio: *Cæcilius simulacro Serapidis denotato*, nempe per ma-

(a) Hierolex. V. *Hostia.* & Berlend. inf. cit.
(b) Differt. *De cultu Sanctor.* §. IV.
(c) De formul. &c. Lib. IV.
(d) Differt. *De Osculis.*
(e) Lib. II.

manus extenſionem, *ut vulgus ſuperſtitioſum ſolet, manum ori admovens, oſculum labiis preſſit*. Recte proinde adorantes manum prius porrigere, indeque ad os referre ſolitos fuiſſe ſcripſit Lipſius, immerito a Lomejero (a) reprehenſus, contendente ſemper primo oſculatos fuiſſe manum, inde illum verſus, quem venerabantur, protendiſſe.

IV. Quemadmodum vero Græci pane Euchariſtico ſanctificarunt ſenſus, ita eos quoque Chriſti ſanguine linire atque inungere conſueverunt. Teſtis pariter hujuſce moris Cyrillus (b) ſanguine divino potum ita admonens: Ετι δὲ τῆς νοτίδος ἐνούσης τοῖς χείλεσί σου, χερσὶν ἐπαφώμενος, καὶ ὀφθαλμοὺς, καὶ μέτωπον, καὶ τά λοιπὰ ἁγίαζε αἰσθητήρια. *Et quum adhuc labiis tuis adhæret ex eo* (ſanguine) *mador, manibus adtingens & oculos & frontem & reliquos ſenſus ſanctifica*. Suſpicari autem licet hanc Eccleſiæ Hieroſolymitanæ diſciplinam a ſua Patriarchali Metropoli, quæ tunc Antiochia erat, acceptam fuiſſe; nam S. Joannes Chryſoſtomus dum ibi moraretur Antiſtes, Sacerdotem deſcribens ſacris operantem myſteriis,

(a) Loc. cit.
(b) Cit. Catecheſi.

riis, & Christum super Altare oblatum, ajebat (a) *omnes adstantes pretioso illo Sanguine rubefieri*: καὶ πάντας ἐκείνῳ τῷ τιμίῳ φοινισσομένους αἵματι.

V. Sed & id aliis quoque ab Ecclesiis usitatum. Cyrillus Alexandrinus explicans figuram Agni, cujus sanguine Hebræi adversus Angelum vastatorem domorum postes tinxerunt (b) ait (c) portas nostras, sensus scilicet, Christi sanguine liniri: θύρας δὲ νοήσεις τὰς ἐν ἡμῖν αἰσθήσεις, per *quas invadit dæmon nisi Christi sanguine liniantur*: οὐ γὰρ ἦσαν καταπεχρισμέναι τῷ αἵματι τοῦ Χριστοῦ. Quæ præ oculis habuisse videtur Theodorus Balsamon dum scripsit (d): τῷ αἵματι καὶ τῷ σώματι Χριστοῦ τὰς τῶν αἰσθήσεων παραθύρους χριόμενοι, καὶ ἁγιαζόμενοι: *inungentes & sanctificantes sensuum nostrorum januas sanguine & corpore Christi*; & Theodorus Studita in hæc verba (e): *Neve oculi augusto sanguine piati efferum cernunto*.

Au-

(a) Lib. III. de Sacerdot. in 2. ad Cor. T. I. Operum edit. Paris.
(b) Levitic. 16. v. 14.
(c) Lib. II. Glaphyror. in Exod. pag. 270. apud Augustinum Tourtée in Admon. ad cit. Cyrilli Hierosolymit. Catech. apud quem & alia testimonia.
(d) Epist. de jejun. 14. T. 2. pag. 503. Coteler. Monum.
(e) Serm. 46.

Auctor quoque Tragicomœdiæ Χριστὸς πάσχων *Christus Patiens* inscriptæ (a), idem sensisse videtur; in ea namque Θεοτόκος *Deipara* de Centurione qui lancea Christi latus perfodit, ita loquitur:

Ἀρύεταί τε χερσὶ κρήνος, καὶ κόρας
Ἔχρισεν, ὡς ἔοικεν, ὡς ἅγνισμ' ἔχῃ.
E fonte manibus haurit, & inunxit pupas,
Ita ut decebat, sanctitatem inde expetens.

Usus porro hic Christi sanguine sensus inungendi diutius altero perduravit; quum adinvento scilicet Cochleari multis in Ecclesiis desiverit mos recipiendi manibus Eucharistiam.

VI. Quamquam vero nonnulla Scriptorum, quæ adtulimus, dicta, figurate prolata videri possint, nec rei usitatæ historiam aperte referant, quum tamen aliquot, Cyrilli Hierosolymitani, & Joannis Damasceni præsertim, clarissima sint, usumque de sanctificandis sensibus & organis corpore & sanguine Christi manifesto indicent, jam nihil impedit quominus etiam cætera testimonia ad litteræ sensum excipiantur. Figurate potius locutam fuisse arbitrarer S. Agnetem Virginem & Martyrem illo in dicto: *& sanguis ejus ornavit genas meas;* quo Franciscus Berlendius, vir doctus, credidit

(a) Inter Opera Greg. Nazianz. T. 2. p. 271.

dit (a) eandem quoque consuetudinem fuisse Latinorum, institutam a S. Petro Antiochena in Ecclesia, atque inde Romæ confirmatam. Certe si unquam usus iste Romæ a Principe Apostolorum fuisset inductus, non adeo facile obsolevisset, extarentque ejusdem vestigia in trium primorum sæculorum latinis Scriptoribus, quum Sancta Agnes quarto ineunte Martyr obierit. Sed cum hæc nullibi occurrunt, tum Sanctæ Virginis Acta germana & authentica periisse Ruinartius dolet; ea vero, in quibus laudata verba reperiuntur, quæque D. Ambrosio adscripta sunt, metaphoris abundant, & verba ipsa iisdem commixta sunt: *Jam mel*, inquit ad Urbis Præfecti filium, qui eam amore deperibat, *& lac ex ore ejus suscepi: jam amplexibus ejus castis adstricta sum: jam corpus ejus corpori meo sociatum est, & sanguis ejus ornavit genas meas* (b). Itaque hic usus solis Græcis, & his quidem non multis, videtur adscribendus.

VII. Facile autem crediderim Græcos veteres enarrato hactenus more usuque declarasse se id majoris sanctitatis, uberiorisque gratiæ percipiendæ caussa fecisse, non superstitione du-

(a) De Oblationibus ad Altare §. V. n. 2.

(b) Bolland. Act. Ss. Tom. I. ad diem 21. Jan. n. 3.

ductos, ut aliqui nimis profecto rigide sen- serunt, Rivetus præcipue, infelicissimus Criticorum. Nam qui verbis clarissimis semper protestati sunt ex contactu consecrati Sanguinis sanctificari calices, eos quoque absque ulla dubietate statui potest credidisse sanctificari, tegique sensus corporeos tam augusto vivificoque mysterio, quod est in hominum salutem institutum. Sed & aperte Græci eodem usu prodiderunt magnam se in mysteria Eucharistica habere fiduciam, maximumque in iis robur agnoscere; uti olim Hebræi dum limina domorum mactati agni sanguine tinxerunt. Hos sane atque alios recti piique animi sensus explicare consueverunt in Orationibus ab iisdem percepta communione recitari solitis. Dicunt scilicet: *miscuisse Christum corpus & sanguinem suum corpori sanguinique eorum, qui communionem acceperunt: linguam eorum suscepisse corpus & sanguinem ejus, atque eo fidelium labra peruncta, sicut olim Israelitarum postes Agni sanguine: sanctificata per Eucharistiam in spem resurrectionis ad æternam vitam fidelium corpora: tenuisse se manibus, vidisse in disco, & in calice, & ex illis accepisse corpus ipsum assumptum ex Maria Virgine, in quo natus est Dei filius, quod in præsepi positum, cruci affixum, lancea per-*

perfossum, *in sepulcro collocatum*, *resurrexit*, *& ad cœlum ascendit*. Cæterum Græcos corporis & sanguinis Christi contactu sanctiores se fieri censuisse, munirique inde sensus adversus carnis illecebras irruentesque vicissitudines existimasse, ex eorum quoque Patrum testimoniis colligitur, qui hujus meminere usus, quique fideles, ut id præstarent, clarissime docuerunt. Hos vero omnes, tantosque Viros qui superstitionis incusare velit, is vereor ne ab omnibus ipse impudens habeatur. Summam sane potius hac in consuetudine suspicere Protestantes deberent Græcorum in Eucharistiam curam & fidem, qua curabant ne vel minimæ sanguinis guttulæ, ex iisque profluens humiditas & mador perirent; sed ad sensuum sanctificationem cuncta deservirent.

VIII. Quamquam censeo ipse Græcos, dum sanguine liniverunt sensus, suum in Christum amorem significare etiam voluisse exemplo Veterum, a quibus ceu insigne amoris benevolentiæque signum habebatur madida adhuc & humore stillantia osculari pocula, oculisque applicare. Hinc Lucianus præcipuum amoris signum percensens in Dialogo Junônis & Jovis ita loquentem inducit Deam: *καὶ τὸ μὲν πρῶτον ἠγνόουν τὸ πρᾶγμα διό τι ἀτενὲς ἀφεώρα ἐς ἐμέ*:

ὁ

ὁ δὲ καὶ ἔςενε, καὶ ὑπεδάκρυε· καὶ εἴ ποτε πιοῦσα παραδοίην τῷ Γανυμήδει τὸ ἔκπωμα, ὁ δὲ ἤτει ἐν αὐτῷ ἐκείνῳ πιεῖν· καὶ λαβὼν ἐφίλει μεταξύ. καὶ πρὸς τοὺς ὀφθαλμοὺς προσῆγε· καὶ αὖθις ἀφεώρα ἐς ἐμέ. *Ac primum ignorabam quid rei esset, cur me intentis oculis aspiceret: ipse etiam ingemisceret & sublacrymaretur: & si aliquando pota poculum Ganymedi praberem, in eodem potum peteret, atque interea oscularetur captum, oculisque admoveret, ac rursum me intueretur.* Idem amoris signum luculenter etiam expresserunt, dum Christi corpus, antequam illud comederent, labiis, fronti, & oculis admovebant; ea enim omnia peregere, quæ fidem, amorem ac summam in illud religionem commonstrarent. Neque diverso sane modo alter eorundem Græcorum usus explicandus est; quo scilicet sancti Panis communione consumpta manum, qua illum exceperant, capiti confestim admovere solent. Consuetudo etenim Orientalium est venerationis & honoris caussa, observante Goario, ipsoque non diffitente Arcudio, manum fronti admovere, cultumque hoc modo in personas dignas obsequio protestari. Ita Græci manu, qua perceperunt panem Eucharisticum, caput illico contingunt; nullo tamen profanandarum specierum, quæ

forte

forte manui adhæsissent, periculo, sed hac prius sacra spongia in disco diligentissime abstersa (a). Purificatorii enim Latinis dicti munus agit in Altaribus Græcorum *Spongia* subtilis, lenis, tersa, ac delicata, quemadmodum Plinii *Penicillus*, vel Festi *Peniculus*. Usum igitur hunc dum concitato, ut plerumque, spiritu Arcudius insectatur (b), nec humanus videtur in suos, nec bonus historicus. Cæterum quum usus modo memoratus non multam vindicare sibi vetustatem possit, inductusque a Græcis videatur non caussa tantum honoris Sacramento deferendi, verum etiam gratiæ uberioris percipiendæ, sanctitatisque ex manu contrahendæ, quæ exceperit augusta mysteria, datur hinc conjecturæ locus hunc in prioris locum cessisse, quo corpore & sanguine Christi sensus ab iisdem sanctificatos fuisse diximus.

IX. Ne tamen ex dictis colligatur Græcos veteres ac recentiores non multam Christi corporis sanguinisque habuisse curam, quum hoc sensus delinirent, illud vero iisdem applicarent, & confidentius, quam par aut fas esse videatur, manibus attrectarent, etsi jam satis, cur id

(a) N. 173. ad Miss. Chrysostom.

(b) Lib. III. Concord. c. 60.

id facerent, dictum sit, fuerit tamen hoc loci operæ pretium observare summam curam, qua perpetuo Græci fategerunt ne quid sanguinis effunderetur, aut panis Eucharistici particula pessumiret. Gabriel Filius Tarich, qui Patriarcha Alexandrinus ordinatus est Anno J. C. MCXXXI, in Rituali suo ita præcipit: *Deus prohibeat; ne per eorum negligentiam quidquam in terram decidat, & ea propter gravissimo judicio sint* (Diaconi) *obnoxii*. In Collectione Canonum Ebnassali (a) statuitur *ne calix usque ad labra impleatur, ita ut effluat aliquid, & in terram effundatur*. In Canonibus, qui vocantur *Præcepta secunda Apostolorum*, eadem præscribitur sollicitudo: *Unusquisque summam curam adhibebit, ne quis infidelis ad communionem Sacramentorum admittatur: ut etiam ne mus, aut aliud animal ad ea accedat, aut aliquid decidat, & peccet, cum sit corpus Christi & sanguis ejus. Omnis igitur fidelis qui Sacramentis communicat, non debet circa illud negligens esse, neque enim oportet aliquid effundi ex calice, postquam in Dei nomine benedictus est, & illum percepit, quia sanguis est Christi. Cave igitur quicumque sis sedulo, ne quid ex eo effundatur,*

ne

(a) Cap. 13.

ne eum immundi spiritus polluant, atque is esto, qui asperneris sanguinem Christi, reusque sis tamquam contemptor illius sanguinis, quo redemptus es. In Quæsitis & Responsis de jure decretum est Sacerdotem, cujus negligentia aliquid ex corpore, aut sanguine Christi decidit super Altare, aut extra, vel in sacra vestimenta, *abstineri per quadraginta dies ab Altaris ministerio & communione, jejunareque per illud tempus, abstinendo ab esu rerum pinguium, & quavis nocte quinquaginta metanoeas* (prostrationes) *facere*. Hæc autem & alia de singulari in Christi sanguinem cura ac reverentia Græci stabiliverunt secundum fidem vetustiorum Orientalis Ecclesiæ Patrum, quorum præclara testimonia, corporis & sanguinis Christi veritatem in Eucharistia comprobantia, Viri de Ecclesia optime meriti, Arnaldus & Renaudotius collegerunt. Eàdem quoque cura ac sollicitudo fuit Latinorum, uti ex multis Pœnitentialibus a Martenio editis, Ivone Carnotensi, Burchardo a Rheginone & aliis bene multis constat. Hoc enim unum est ex præcipuis fidei ac religionis in mysterium Eucharisticum capitibus, in quo utraque Ecclesia semper mirifice consensit; sicuti est etiam adoratio Eucharistiæ, attentissima minutarum particularum collectio, atque

cura

cura ne decidant, ne mucescant, & si qua sunt alia; de quibus inepte Protestantes litem movent, dum noviter inducta a Graecis Latinisque venditant. Quamquam enim Libri Sacramentales veteres graeci ac latini enucleatam diffusamque horum, atque aliorum rituum & usuum descriptionem non contineant, cum aliunde peterentur, non iccirco novitatis suspicione aspergendi sunt, quasi tunc primum instituta disciplina sit, quando Liturgiis inscribi coepta est. Fuerunt enim apud Graecos Latinosque, qui ante sexcentos & plures annos ritus usufque utriusque Ecclesiae descripserunt. Nemo horum ritus se novos instituere, aut antiquos reformare se velle professus est; sed unusquisque eos, qui in Ecclesia sua recepti erant, designavit; eorumque antiquitatem omnium Ecclesiarum in praecipuis disciplinae conformitas satis demonstrat, quod cum Renaudotius in Liturgiis Orientalibus, tum ipse & Arnaldus in Opere eximio *De perpetuitate fidei &c.* omni argumentorum genere comprobarunt.

X. Summae porro curae, qua Graecos caeterosque Orientales procurasse diximus, ne Christi sanguis funderetur, videntur aliqua ratione adversari, quae de Jacobitarum Ordina-

tionibus enarràvit vir doctiſſimus Joannes Morinus (a). *Sed Jacobitæ*, inquit, *præterea aliquid Sanguinis Chriſti in volam Epiſcopi ordinantis effundunt, quo velut unctus ordinandum ungat, & effuſione Spiritus largius locupletet*. Verum jam pridem Renaudotius animadvertit in perdocto Morini Opere non pauca caſtigatione, plura vero emendatione indigere. Hæc inter ea ponit, quæ modò recitavimus ex Annot. 114. in Ordinationes Syrorum & Jacobitarum; putatque quæ ibi leguntur ita excipienda eſſe ſecundum MS. Florentini explanationem, ut Epiſcopus ad conſecrata dona manus extendens hæc non contingat, ſed perinde faciat quaſi aliquid manibus acciperet; ait enim de Ordinationibus loquens Jacobitarum (b): *ce qu' il y a de particulier eſt que dans ce dernier Office il eſt marquè, que l'Eveſque impoſant les mains, les met auparavant ſur le voile, qui couvre les ſaints miſteres, & voicy les paroles de la traduction*: „ Epiſcopus ponit manus ſuas ſuper „ myſteria, & extendit brachia ſua contrahitque „ tribus vicibus accipiens de Calice in pugillum ſuum

(a) P. II. Comment. de Sac. Eccleſ. Ordinationib Annot. in Syrorum Ordinat. Annot. 114. pag. 503.

(b) *Perpetuitè de la Foy &c.* Tom. V. c. 8. pag. 369.

„ suum cum mysteria colligunt, & cooperiunt „ peplo, seu linteo sacro„. *Ces paroles sont inintelligibles, & le sens qu'on y pourroit trouver est contraire a la discipline certaine, & constante de tout l'Orient. Car le respect qu'ils ont pour l'Eucharistie ne permet pas de croire qu'ils en versassent quelque particule dans la main de l'Evesque, come nous l'avons fait voir ailleurs. Ce qui est donc plus clairement expliquè dans le manuscrit de Florence, & qui se pratique en d'autres ordinations, est que l'Evesque estend ses mains sur le disque ou la patene, & sur le Calice, qui sont couverts de leur grand voile: qu'ensuite il ferme les mains comme s'il prenoit une poignèe de quelque chose, faisant ainsi entendre qu'il les sanctifie en cette maniere, en les ayant approchè des saints misteres.* Quæ Renaudotii cogitata a veritate aliena non videntur. Licet enim Orientales magnam vim, cum de sacris agitur rebus, in contactu statuant, aliqua tamen interdum præstant, quæ ab illo longe absunt, licet contactum mysteriorum exprimere, atque exoptare videantur. Sane in Liturgia Nestoriana, quæ Sanctorum Apostolorum dicitur, ubi hostiæ osculum exponitur, antequam fractio, & consignatio ejusdem fiat, hæc leguntur; *osculatur Sacerdos hostiam in mo-*

dum crucis, ita tamen ut ad labia sua non adjungat; sed eam quasi osculatur, & suscipit utraque manu, tum dicit. &c.

XI. Curæ ac diligentiæ Sanguinis haud fundendi egregie sollicitudo respondet, qua perpetuo adnisi sunt, & legibus caverunt severioribus, ne qua vel minima remaneret in Altari particula Eucharistici panis, ac disperderetur. De fragmentis, quæ κλάσματα dicuntur, minutioribus, oculisque non facile perviis, singulare quiddam præcipiebant (a), nempe *ut Sacerdos postquam discum diligenter absterſit, & calicem abluit, dicat, si membrum aliquod, hoc est particula corporis Christi remanserit, scientiæ tuæ, quæ mundum creavit, maneat commendatum: esto ei custos Domine & nobis propitius.* Echimenensis ita statuit (b): *caveant diligenter Sacerdotes & Diaconi, ne quidquam ex Eucharistia residuum sit, & ita judicium gravissimum incurrant, exemplo Filiorum Aaron & Heli, quos disperdidit Spiritus Sanctus, quia negligentius administrabant sacrificia Deo oblata. Quanto vero magis id metuendum est illis, qui negligenter se habent erga Corpus & Sanguinem Chri-*

(a) In Cod. Syro-Colbert. apud Renaudot. In Comment. ad Liturg. Copt. S. Basilii.
(b) Apud Renaud. loc. cit.

Christi Domini. Hæc & similia constituuntur in Quæsitis & Responsis Canonicis, Collectionibus Canonum, & Ritualibus, e quibus profecto petenda est Eucharistica Orientalium disciplina, non ex vulgi rumoribus, aut vanis ineptisque Itinerariorum scriptionibus, ut fecerunt Protestantes. Ecclesiæ autem Constantinopolitanæ singularis & vetus consuetudo fuit, ut pueri innocentes e scholis accersiti μερίδας, Eucharistici Panis scilicet particulas, quæ a communione superfuerant, ipsi consumerent. Hujusce usus testis locupletissimus Evagrius, qui illustre etiam factum, quod puero hebræo contigit, hisce verbis commemorat (a): *Vetus est consuetudo Constantinopoli, ut quoties ex sacris partibus immaculati Corporis Dei nostri magnus numerus superfuerit, pueri impuberes ex iis, qui Grammaticorum scholas frequentant, evocentur, qui eas manducent*. ἔθος παλαιὸν βούλεται ἀνὰ τὴν Βασιλεύουσαν, ὅτ' ἂν πολύ τι χρῆμα τῶν ἁγίων μερίδων τοῦ ἀχράντου σώματος Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ἐναπομείνοι, παῖδας ἀφθόρους μεταπέμπτους γίγνεσθαι παρὰ τῶν ἐς χαμαιδιδασκάλου φοιτώντων, καὶ ταῦτα κατεσθίειν. κ. τ. λ. *Id igitur eo tempore quum accidisset una cum aliis pueris*

 convo-

(a) Hist. c. 36.

convocatus est filius vitriarii cujusdam, qui secta erat judæus. Hic puer parentibus causam moræ ex ipso sciscitantibus, id quod factum fuerat exposuit, & quid ipse una cum reliquis pueris degustasset. Pater ira atque indignatione succensus, illico filium correptum in fornacem ardentem conjicit, in qua vitrum formare consueverat. Mater vero puerum quæritans cum reperire non posset, per totam urbem circuibat, plorans, atque ejulans. Tertio vero die ad ostium officina mariti sui stans, filium nominatim inclamare cœpit, flens ac se ipsam lacerans. Tum puer, agnita matris voce, ei respondit ex fornace, statimque mater perfractis foribus introgressa, puerum inter carbones stantem videt, quem ignis nullatenus ambusserat. Qui postea interrogatus quonam modo illæsus permansisset, mulierem quandam purpurea indutam veste ad se crebro ventitasse, aquam ipsi porrexisse, & carbones, qui juxta ipsum erant, restinxisse, ac cibum denique esurienti præbuisse respondit. Hæc cum nuntiata Justiniano fuissent, puerum simul ac matrem Imperator regenerationis lavacro initiatos clero adscripsit. Patrem vero Christianæ Religionis Sacramenta percipere recusantem, tamquam proprii filii interfectorem, in Sycensi suburbio cruci affigi præcepit.

Con-

Contigit hoc factum tempore Mennæ, Patriarchæ CP. qui sæculo sexto floruit; viguitque eadem consuetudo, reliquas nempe panis Eucharistici particulas pueris distribuendi, usque ad sæculum XIV. teste Nicephoro Callixto, qui eodem sæculo scripsit; factum enim a nobis modo ex Evagrio recitatum & ipse memorans, hæc addit (a): *Quod quidem mihi quoque sæpenumero, quum puer adhuc essem, & maxime a prima ætate in sacris ædibus versari studio haberem, contigit*. Eandem historiam complexus est Gregorius Turonensis (b).

XII. Consuetudo, quæ in Ecclesia Constantinopolitana fuit, viguit etiam sæculo sexto in Gallia, uti discimus ex Concilio Matiscotensi celebrato A. DLXXXV. circiter sub Pelagio II. *Quæcumque reliquiæ*, inquiunt Patres (c) *Sacrificiorum post peractam Missam in sacrario superfederint, quarta vel sexta feria innocentes ab illo, cujus interest, ad Ecclesiam adducantur, & indicto eis jejunio, easdem reliquias conspersas vino percipiant*. Sic ut pueri facilius particulas deglutirent, statuit Concilium, quemadmodum infra observabimus. Aliis

(a) Hist. lib. 17. c. 25.
(b) De Gloria Mm. lib. 1. c. 9.
(c) Can. 6. Tom. I. Concil. Galliæ Lib. 8.

a Constantinopolitana in Ecclesiis Eucharistiæ particulæ, ne diutius servarentur, ac ad corruptionem accederent, vel a Sacerdotibus ipsis absumebantur, vel igne cremabantur. Hoc postremum in Hierosolymitana, Hesychio ejusdem Ecclesiæ presbytero teste, peragebatur (a); nam etsi optime cognoscerent Christi Corpus supra omnem corruptionem esse, malebant tamen species eo modo absumi, quam alio tantæ rei minus digno (b). Igitur communio puerorum cum in Ecclesia Costantinopolitana octo spatio sæculorum, tum in Galliæ nonnullis Ecclesiis solo pane Eucharistico peracta est, ut ex adductis factis, ac monumentis constat, quin nemo unquam hasce synaxes condemnarit. Consequenti inde tempore alias ob caussas mutatus hic mos est; eas scilicet, ob quas pleraque disciplinæ capita obsoleverunt, nec ea propter horum desuetudine usus priores fuisse reprehensos dici potest. Manet tamen antiqui moris memoria in canonibus, sacrisque Ecclesiæ documentis, quibus Sacramentarii edoceri possunt, si tamen volunt, Euchari-

(a) In Levit. Lib. II. C. 68.
(b) Bossuetus *Traitè de la Communion &c.* p. p. Perronius *De l'Eucharistie*. Liv. III. Chap. VI.

chariſtiàm non ſemper, nec ubique ſub utra, que ſpecie adminiſtratam fuiſſe.

XIII. Sed ut veterum uſus & facta perſequamur, primo loco Baſilii Magni facinus expendendum eſt; qui, uti legitur in ejus Vita, quam Amphilochio, Iconienſi Epiſcopo & Baſilii æquali, eſſe adſcribendam Jacobus Goarius putat, quum primo divinis myſteriis operatus eſt, ſacrum Panem in tres partes diviſit, quarum una ſe communicavit, alteram Columbæ (a) aureæ incluſam ſuper altare appen-

(a) Extabat jam hujus vitæ verſio ſæculo IX., eamque citavit Æneas Epiſcopus Pariſienſis in Tract. adverſus Græcos, quem ſcripſit ante A. J. C. DCCCLXX. qui ei ſupremus fuit. At quamvis Amphilochii certum opus eſſe haud conſtet, merito tamen inde licet colligere illius auctorem, quiſquis ſit, Baſilio conſuetudines uſuſque forte adſcribere, qui ſuo tempore extabant. Columba porro aurea, cujus hac in vita mentio fit, panis Euchariſtici conſervationi veroſimilius inſerviebat. In Concilio Conſtantinopolitano ſub Menna Act. V. Columbarum mentio occurrit; uti apud latinos quoque; quemadmodum in Teſtamento Perpetui Epiſcopi Turonenſis Tom. V. Spicileg. & in vetuſto Necrologio Eccleſiæ Antiſſiodorenſis a Martenio edito Tom. VI. Veter. Script. pag. 688., ubi ad XIV. Kalend. Febr. hæc leguntur: *eodem die obiit Frodo Levita & Canonicus, qui pro ſalute animæ ſuæ fecit huic Eccleſiæ Columbam argenti, auro deauratam cum corona, & cetenis argenteis deſuper altare pendentem ad Corpus D. N. J. C. conſervandum*. Communius tamen primis temporibus Euchariſtia in *Turribus* conſervabatur. Exempla exſtant in Gregor. Turon. cap. 86. de Gloria Mm. In Coll. Lib.

2.

pendit; tertiam denique conservavit *consepeliri sibi*. Quamquam vero hoc unum in sacra Græcorum historia forte hujus rei exemplum sit, ipsa tamen Basilii sanctitas & doctrina videntur persuadere non primum Basilium consepeliri sibi Eucharistiam jussisse, sed usitatam jam tunc disciplinam, receptumque morem servasse, quod doctissimus quoque Goarius opinatus est. Disserens is adversus Arcudium, qui recentem Græcorum morem, præsanctificatum panem vivifico Christi sanguine tingentium, reprehendebat, hæc habet (a) lectu dignissima: *sed nec damnat Græcos, quæ objicitur, specierum vini evanescentium cogitatio: in hominum enim utilitatem, quam Sacramentorum respicit usus & consumptio, cedit quidquid ibi sacrum est & divinum, eamque solam cum attenderet Basilius, particulam Communionis diutissime servatam sepeliri secum, juxta vigentem tunc morem, mandare non reformidavit.*

XIV. Hujus ejusdem rei non desunt apud Latinos exempla. S. Benedictum supra pectus defuncti monachi Eucharistiam poni jussisse nar-

---

2. c. 38. Odonis Abb. Cluniacensis, Venantio Fortunato Lib. 3. carm. XIII. Martenio Tom. V. Thesauri pag. 95. & Sebast. Paulio in Dissert. de Patena Argentea Foro Corneliensi pag. 81. &c.

(a) N. 32. ad Off. Præsanctificat.

narrat S. Gregorius Magnus (a) his verbis: *Quadam die cum quidam ejus puerulus monachus parentes suos ultra quam debeat diligens, atque ad eorum habitaculum tendens, sine benedictione de monasterio exivisset, eo die ut ad eos pervenit defunctus est. Cumque esset sepultus die altero, projectum foras corpus ejus inventum est. Quod rursum tradere sepulturæ curaverunt, sed sequenti die iterum projectum exterius atque exhumatum sicut prius invenerunt. Tunc concite ad Benedicti Patris vestigia currentes cum magno fletu petierunt, ut ei suam gratiam largiri dignaretur. Quibus vir Dei manu sua protinus Communionem Dominici Corporis dedit dicens: Ite, atque hoc Dominicum Corpus super pectus ejus cum magna reverentia ponite, eumque sepulturæ tradite. Quod cum factum fuisset, susceptum corpus ejus terra tenuit, nec ultra projecit.* Multa de hoc Benedicti facinore scripserunt Theodorus Petrejus (b) Benedictus Hæftenus (c) & Petrus Magagnottus (d), fortasse non omnia necessaria, & pleraque etiam inepta. Nos quid tota hac de re

sen.

(a) Lib. 2. Dialog. c. 24.
(b) L. 3. Conf. Greg. c. 6.
(c) T. I. p. 1. c. 24. Disquis. in Reg. S. Bened.
(d) *De Eucharistia* Exercit. XVI.

sentiamus ; declarabimus posteaquam nonnulla alia exempla recensita fuerint, quibus ostendatur Eucharistiæ cum mortuis sepeliendæ usum n Occidente etiam invaluisse.

XV. Id vero patet ex historia translationis S. Othmari, Abbatis S. Galli, defuncti anno 759. ab Isone Monacho descriptæ, in qua hæc leguntur (a): *Sub capite & circa pectus Viri Dei quædam panis rotulæ, quæ vulgo Oblatæ dicuntur, illæsæ atque ab omni corruptione extraneæ ab eodem Episcopo* (Salomone) *inveniebantur*. Idem usus ex Amalario etiam comprobatur, qui contendit eumdem a Romana Ecclesia ad Anglos pervenisse ex Venerabilis Bedæ testimonio. En Amalarii verba (b): *Dominus Beda scribit de exequiis S. Guthberti*: „ postquam „ sanctæ memoriæ Guthbertus obiit in via Pa„ trum, a navigantibus ad Insulam nostram „ delatus, toto corpore levatus, capite suda„ rio circumdato, Oblata super pectus san„ ctum posita, vestimento sacerdotali indu„ tus, in obviam Christi calceamentis suis „ præparatus, in sindone cereata involutus, „ animam habens cum Christo gaudentem. „

Non

(a) Lib. 2. c. 3. apud Surium die 16. Novemb.
(b) Lib. IV. *De Divinis Officiis* c. 41.

Non est dubitandum, quin ipse mos esset apud Romanam Ecclesiam in hac re, quæ apud Anglos fuit, præsertim cum ex illa primum Episcopum Augustinum haberent Angli Saxones, & eo tempore quando celeberrima fuit Romana Ecclesia propter auctoritatem doctissimi ejus episcopi Gregorii. Nomine *Oblatarum* Eucharistiam indicari eruditi fere omnes sentiunt. Sacros quoque Calices cum Episcopis sepultos fuisse ex Vitis constat Uldarici Episcopi Augustani, & Birini primi in Anglia Dorcestriæ Antistitis anno circiter 640. vita functi. At his in Calicibus Sanguinem quoque fuisse sepultum nullo hactenus probatum est authentico documento; remque profecto hanc gravius pertractare Binghamus debuisset & accuratius, ut id aliquando factitatum fuisse adfirmare tuto posset, cum de re agatur summi momenti.

XVI. Qua autem ratione ducerentur, qui secum panem Eucharisticum sepultum cupiverunt, a nemine hactenus clare explicatum est. Crediderim ipse Magnum Basilium aliosque id ea de caussa fecisse, ut futuræ resurrectionis symbolum & effectorem eorum cadavera præseferrent. Quum enim egregie scirent mortale corpus aliquando e sepulcro exiturum, ut a corruptione immune redditum cum Christo *spiritale* evaderet,

ret, uti loquitur S. Paullus (a), id nulla efficaciori ratione explicare se, atque adsequi posse crediderunt, quam si corpora sua exanima divino illius corpore tangerentur, qui nunquam vidit corruptionem, quique resurrectione sua fidem, quam prædicaverat, confirmavit, & spem certam dedit cæterorum hominum resurrectionis. Noverant quidem hæc & alia verbo virtutis suæ præstare Deum posse, omnesque vivificare, sed cum animadverterent Christum Dominum non solum verbo & imperio in excitandis mortuis usum fuisse; verum etiam adhibuisse carnis suæ contrectationem, manuque mortuos apprehensos e sepulcro ad vitam revocasse, iccirco secum vivificam Christi carnem humatam voluerunt, in fidem scilicet explicatiorem resurrectionis, certæque in eam spei documentum. Hinc plerique eorum ex Eucharistia congrue satis corporum resurrectionem argumentati sunt. *Quomodo*, ajebat alios inter Irenæus (b), *rursum dicunt carnem in corruptionem devenire & non percipere vitam, quæ corpore Domini, & Sanguine alitur?* His singularis Patrum in Eucharisti-

(a) 1. ad Cor. 15. 44.
(a) Lib. 4. Adversus Hæreses c. 34. & seq.

ristícum panem amor adjungendus est, ut quem scilicet vivi adeo avide gustassent, ab eodem mortui separari ægre ferrent. Quare S. Paulinus, ut amorem Martyrum erga Christum Cruci affixum digne exprimeret, Crucis ligni particulam, quam a Melania acceperat, cum illorum lipsanis condidit, uti discimus his versibus (a):

Quam bene junguntur ligno Crucis ossa piorum:
Pro Cruce & occisis in Cruce sit requies.

Itemque aliis:

Divinum veneranda tegunt Altaria fœdus
Compositis sacra cum Cruce Martyribus.
Cuncta salutiferi coeunt martyria Christi:
Crux, corpus, sanguis, martyris ipse Deus.

Quæ de panis Eucharistici particulis adservatis nonnulli minus recte explicaverunt.

XVII. Singulare autem atque inusitatum S. Benedicti facinus ex peculiari instinctu, atque confidentia in Deum pensandum est, recolendaque singularis fides, & admirabilis ita agentis modus. Etsi enim providissimus Deus viam communem pro omnium salute constituerit, quos servare decrevit, omnesque fere ducat per iter planum, rectum, & usitatum; quum tamen ex Sacris Litteris manifestum sit, spiritum

Dei

(a) Epist. XII. ad Severum.

Dei movere nonnunquam corda hominum in quædam, quæ abhorrent ab usu quotidiano, eademque impellere in res, quæ communem hominum operandi modum excedunt, non ideo statim tantorum virorum inspiratio & instinctus damnandus est, aut cum risu excipiendus. Porro inter multa, quæ nos docere optime possunt, observantibus Cardinali Bona, S. Francisco Salesio, & Prospero Lambertinio, talem impulsum agendique modum plane singularem habere Deum auctorem, id maxime expendendum est, an aliquid contigerit, quod vere naturæ superet vires, & insolitæ actioni divinum nescio quid superaddat, ut sane accidit in memorato divi Benedicti facto; atque etiam aliis in gestis SS. Bernardi, Antonii Patavini, Claræ Virginis aliorumque Sanctorum, qui ad res plane insolitas obtinendas, ex speciali Divini Numinis inspiratione & instinctu, Eucharistiam adhibuerunt.

XVIII. Sed quoniam de singularibus Græcorum usibus scribimus, in hujus rei confirmationem abs re non erit SS. Græcorum nonnulla narrare exempla virorum, qui divino, uti Benedictus, afflati spiritu, insolitis plane modis suum in sanctam Eucharistiam amorem & fiduciam contestati sunt. Quod eo libentius

etiam

etiam facimus, quum narratio harum rerum ad tractationem, quam suscepimus de singularibus usibus Græcorum, etiam petineat. Sic Lucianus itaque Presbyter Antiochenus absque ara in carcere pridie quam obiret, sacrum fecit, loco altaris proprio pectore usus. Cum enim Nicomediæ in carcere detineretur inclusus, cumque tristes mœrentesque discipuli circumdarent, quod proximo Theophaniæ festo ille non posset sacra mysteria celebrare, ipsis vero non liceret Eucharistiam sumere, ipse quamvis dire vexatus inedia, afflictusque plagis mirum in modum, sacrum in carcere peregit, sacroque pane Discipulos refecit singulari modo, ut ex actis noscimus ab Anonymo certæ fidei scriptore Græce exaratis, latineque factis a Lipomano ac Surio, atque a doctissimo Bollando denuo recusis (a). *Cum ergo*, inquiunt acta, *advenisset dies festus Theophaniorum, qui expectabatur, desiderabant quidem discipuli hanc ultimam a Magistro consequi divini Mysterii celebrationem. Videbatur autem esse dubium quonam modo mensam quidem in carcerem inferrent, aut laterent impiorum oculos, cum multi quidem tunc partim illic adessent, partim*

C *autem*

(a) Act. II. Tom. I. ad diem VII. Januar.

autem accederent, ille vero: mensa quidem, inquit, erit vobis hoc pectus meum, non ut arbitror Deo futura minus honesta ea, quæ fit ex inanima materia, templum autem sanctum vos mihi eritis, me omni ex parte circumdantes. Et sic hæc facta quidem sunt hoc modo. Jam enim ut quod esset sanctus in fine vitæ & remissi erant custodes, Deo, ut ego quidem arbitror, qui martyrem bonorare volebat, & suorum Discipulorum non sustinebat inconsolabile videri desiderium, efficiente, ut citra impedimentum fierent ea, quæ erant proposita. Hinc cum omnes eos martyr fecisset in orbem consistere, ut inter se invicem alter prope alterum stantes, cum tuto comprehenderent, jussit suo pectori imponi signa divini sacrificii. Postquam hæc fecissent, & in cælum prorsus sustulit obtutum, cum jam vix posset extollere, preces peregit consuetas. Deinde cum divina plurima esset effatus, & sacro ritu omnia peregisset proposita, ipse & fuit particeps Sacramentorum, & transmisit ad eos qui aderant, ut ipse quoque ostendit in ultima ad eos epistola (a). Lucianum imitatus est Theodoretus,

(a) Passus est sub Maximino A. 312. Eusebio teste qui tum Ecclesiasticam scribebat historiam; obiit vero die, quæ Theophaniam insecuta est, uti prædixerat. Extat de

retus, Cyri in Palæstina episcopus, qui, ut ipse narrat (a), satisfacturus piis votis Anachoretæ Maris, qui sponte in cellula inclusus, a multis annis inde pedem nunquam extulerat, divina mysteria in eadem cella peregit, usus altari non alio, quam manibus expansis sibi adstantium diaconorum.

XIX. Perillustre etiam insignis in Eucharistiam fiduciæ exemplum habes in iis, quæ de Patre, sororeque item sua Gorgonia narrat Gregorius Nazianzenus (b). Pater ejus Gregorius gravissima oppressus infirmitate sperans sacro adipe salutem se consecuturum, intra cubiculum sine ara ea nocte sacris mysteriis operatus est, quæ Christi resurrectionem præcedebat, quamque tunc temporis populus una cum clero sacris in canticis hymnisque in majori Basilica agitabat. Sed melius fuerit Gregorii verba, quam nostra perlegere. *Mysterii tempus aderat*, inquit, *& veneranda statio, atque ordo ad ea,*

 quæ

de Luciano Chrysostomi sermo panegyricus, postridie festi Epiphaniæ pronunciatus; quæ diei circumstantia Anonymi Scriptoris Lucianeæ passionis confirmat narrationem. Colitur S. Martyris memoria a Græcis die 15. Novemb., ut ex Menologio & Menæis patet, atque ex Anthologio a Clemente VIII. adprobato. Agit de ipso Eusebius in Hist. lib. 8. c. 13. & lib. 9. c. 6.

(a) In Hist. Religiosa.

(b) Orat. de Obitu Patris.

quā celebrabantur, quietem & silentium tenens, cum ille ab eo, qui mortuos ad vitam revocat & a nocte sacro-sancta excitatur. Primo paulum se movet, deinde firmius, mox exigua admodum & obscura voce famulum quendam ex iis, qui assistebant, nominatim accitum praesto esse, ac vestem porrigere, manumque subjicere jubet. Qui cum non sine stupore adesset promteque obsequeretur, ipse manu tamquam baculo ductus, Mosen illum in monte orantem imitatur, fractisque ac debilitatis manibus ad orationem compositis, alacri animo cum populo vel ante populum mysteria peragit; paucis quidem & quibus poterat verbis, mente autem ut mihi videtur, per quam integra. Rem miram! sine sacrario in sacrario, sine altari sacrificus, sacerdos a mysteriis procul remotus. ὢ τοῦ θαύματος: ἄνευ βήματος, ἐπὶ βήματος, ἄνευ θυσιαστηρίου, θύτης, ἱερεὺς, πόῤῥω τῶν λελυμένων. κ.τ.λ. Atque hæc quoque illi a Spiritu Sancto aderant, ipsi quidem cognita, præsentibus autem haudquaquam perspecta. Postea cum Eucharistiæ verba, ita ut consuetudo fert, effatus esset, ac populum quasi benedixisset, in lectulum rursum se conjicit, cumque paulum quidam cibi admisisset, ac somni particeps factus fuisset, spiritum revocat. Recte id Spiritus Sancti

afla-

aflatu, atque consilio factum Gregorius dicit; nam parens ejus recuperata illico salute manifesto miraculo ad ecclesiam post Domini Resurrectionem accessit, sacra encænia cum populo celebravit, atque in grati animi signum immaculatam hostiam Servatori Deo obtulit.

XX. Pari in Eucharistiam confidentia atque spe S. Gorgonia Eucharisticò pane usa est, tamquam pharmaco salutari, quo ab extraordinario morbo, medicisque incognito sanaretur; mulierem illam æmulata, quæ Christi fimbriæ attactu sanguinis profluvium compressit: *cum caput suum*, inquit idem Gregorius Nazianzenus (a), *pari cum clamore, lacrymisque, quibus abundabat (mulierculæ illius instar, quæ olim Christi pedes rigavit) altari admovisset, nec se prius illud dimissuram esse denuntiasset, quam sanitatem obtinuisset; ac deinde hoc suo pharmaco corpus totum perfudisset:* καὶ εἴ πού τι τῶν ἀντιτύπων τοῦ τιμίου σώματος, ἢ τοῦ αἵματος ἡ χεὶρ ἐθησαύριζεν, τοῦτο καταμιγνύσα τοῖς δάκρυσιν. τ. κ. λ. *etsi quidpiam antityporum pretiosi Corporis aut Sanguinis recondiderat, id lacrymis commiscuisset, o rem mirandam! statim liberatam se morbo sentit, atque & corpore & animo &* mente

(a) Orat. de obitu Gorg. soror.

mente levis discedit, pro spei mercede id quod speraverat, consecuta. Non inepte porro ex hoc inusitato Gorgoniæ facto colligitur eandem plenam habuisse transubstantiationis fidem, qua firmissime credebat Eucharistiæ particulis sanctitatem ac vim inesse stabilem & inhærentem; quæ cogitatio sensusque jam subire non potest illorum mentem & animos, qui non admittunt transubstantiationem. Nugantur vero Felhavius & alii, vimque maximam Gregorii verbis inferunt, dum putant Gorgoniam non panem Eucharisticum penes se habuisse, sed nocte processisse ad Ecclesiam, ibique aram ante prostratam quæsivisse si quid reliquum panis aut vini in Liturgia pridem adhibiti super altare remansisset, quo tamquam pharmaco abuti posset. Namque clarissime Gregorius refert sororem suam ad morbi sanationem adhibuisse, quod e corpore, vel sanguine Christi recondiderat, seu si ad verbum vertere malis, *thesaurizaverat*: necesse igitur non habebat super altare quærere, quod jam antea penes se recondiderat sive thesaurizaverat, nisi summa, atque nullo modo ferenda violentia Felhavius velit *recondere* aut *thesaurizare* idem significare prorsus ac *quærere*. De voce *Antitypon* a Gregorio adhibita agunt Bessarion,

Ros.

Roffensis Martyr, Bellarminus, Perronius, Arcudius & alii. Mihi magis probantur quæ ex Joanne Damasceno (a) & Elia Cretensi (b) responsiones peti possunt.

XXI. Cum usu autem Eucharistiam sepeliendi, ut Basilius, Gregorius, aliique fecerunt, altera consuetudo, communionem scilicet defunctis præbendi confundi haud debet, uti inscite a celeberrimis etiam rituum scriptoribus factitatum novimus. Abusus iste (c) qui in Galliis & Africa præcipue inoleverat, Orientem quoque pervasit, uti ex Synodi Trullanæ, seu Quini-sextæ canone LXXXIII. erudimur in hæc verba: μηδεὶς τοῖς σώμασι τῶν

(a) Lib. 4. de fide Orthodoxa c. 14.
(b) In Orat. I. Gregor. Theolog.
(c) Quemadmodum Eucharistiam, ita osculum quoque nonnulli veterum mortuis concessere, ut a Concilio Antissidiorensi, sub Gregorio magno celebrato, discimus: a quo uterque abusus damnatus est. Morem porro se invicem deosculandi ante Eucharistiæ perceptionem in signum unionis, mutuæque charitatis ab ætate Apostolorum ad Innocentii III. usque tempora Christiani servaverunt. Cujus quidem rei adeo fideles observatores veteres fuisse videntur, ut vel ipsum oscularentur Sacerdotem, cum alii non adessent, quibus hoc pacis & dilectionis signum ante Christi Corporis sumptionem exhiberent. Sic Mariam Ægyptiacam, cum a Zozima Abbate vivifica dona susciperet, osculum primo sancti senis ori dedisse, legimus in ejus actis, quæ græce latineque extant Tom. I. Mens. April. Act. Ss. ad diem II.

τελευτώντων τῆς Ευχαριστίας μεταδιδόττω· γέγραπται γὰρ, λάβετε, φάγετε· τὰ δὲ τῶν νεκρῶν σώματα ὐδὲ λαβεῖν δύνανται, οὐδὲ φαγεῖν. *Nemo mortuorum corporibus Eucharistiam communicet : scriptum est enim : Accipite, & comedite : mortuorum autem corpora non possunt accipere, nec comedere*. Hoc modo, præter alios, Eucharistia abusos illos hæreticos fuisse qui mortuos baptizabant, a vero non videtur alienum. Hic fuit error Montanistarum, de quibus S. Philastrius sæculo IV. scribebat *bi mortuos rebaptizant*; Marcionitarum etiam & Manichæorum, referente Joanne Chrysostomo (a). Horum astutias sane ridiculas in mortuis baptizandis refert Constantinus Harmenopulus (b). Quare alias inter caussas quibus excitati Africani Patres Concilii tertii Carthaginiensis, mortuis dari Eucharistiam prohibuerunt, ea fuit ne mortuos baptizari posse crederetur : *Corporibus defunctorum*, inquiebant (c) *Eucharistia non detur: dictum est enim a Domino : accipite & edite ; cadavera autem nec accipere possunt nec edere*. *Deinde cavendum*

(a) Hom. XL. in I. ad Cor.
(b) Lib. II. de Sectis.
(c) Canon. 38. Habitum est hocce Concilium A. 397. sub Siricio R. P. præside magno Augustino.

dum est, ne mortuos etiam baptizari posse fratrum infirmitas credat, cum Eucharistiam non dari mortuis animadverterit; poterant enim Christiani rudiores, qui Eucharistiam mortuis non baptizatis non dari conspicerent, hoc ita fieri existimare propter defectum baptismatis; & inde baptizari eos posse, ut post baptismatis consecrationem Eucharistiæ quoque munere donarentur (a). Hanc consuetudinem mortuos Eucharistia donandi diu in Oriente perdurasse, atque in defunctos Præsules præcipue fuisse usitatam ex Balsamone colligimus, qui in expositione memorati Trullani canonis hæc habet (b): τὸ μὲν τὸν χειρίζεσθαι τοῖς ἀρχιερεῦσι μετὰ τελευτὴν ἅγιον ἄρτον, καὶ οὕτως ἐνταφιάζεσθαι, νομίζω γίνεσθαι εἰς ἀποτροπὴν τῶν δαιμονίων, καὶ ἵνα δι' αὐτοῦ ἐφοδιάζηται πρὸς οὐρανὸν, ὁ τοῦ μεγάλου, καὶ ἀποστολικοῦ καταξιωθεὶς ἐπαγγέλματος. *Quod autem Sanctus Panis antistitibus post mortem tradatur, & sic sepelliantur, existimo hoc fieri ad evertendas Dæmonas, & ut per ipsum tamquam viaticum deducatur in cœlum, qui magna & apostolica professio-*

(a) Vide Paschasium Quesnellum in notis ad Collect. Canon in Operib. S. Leonis, & animadversiones FF. Balleriniorum Tom. III. Venet. edit. Operum ejusd. Pontificis.

(b) Apud Bevereg. Tom. I. pag. 253.

fessione dignus est habitus. Quæ Græci Canonum Exegetæ momenta nemo facile exceperit, cum quivis libenter possit quærere cur cacodæmones in corpora episcoporum magis sævire gestiant; & cur isti præ aliis pane Eucharistico, tamquam viatico, indigeant. Recte sane ajebat Thiersius (a): *mais ces deux raisons sont extremement minces, tant parce qu' il y a autant a craindre du cotè des demons pour les corps des autres morts, que pour ceux des evèques: & qu' au fond l' Eucharistie ne peut pas plus servir de viatique aux uns qu' aux autres, puisque ni les uns ni les autres ne sont point en etat de la prendre, ni de la manger*. Gabriel Albaspinæus, doctus Aurelianensium Antistes, ea de caussa hunc abusum irrepsisse putat (b), quod plerique Presbyteri, populique rudes rerum divinarum crederent eos, quos canonicis pœnitentiis nondum solutos, mors occupasset absolutione non obtenta, proindeque Eucharistia non refectos, communione esse donandos, tamquam valido subsidio ad jus acquirendum Ecclesiæ communionis, a qua peccantes exciderant. At quum hac admissa conjectura neque probabilis ulla habeatur ratio, cur

(a) *Traitè des Superstitions* Tom. 2. liv. 4. chap. 5.
(b) Observat. Ecclesiast. Lib. I. observat. 9. & 10.

cur defunctis præsertim episcopis communio tribueretur, & gravis altera exsurgat difficultas; quare scilicet Eucharistiam præ absolutione mortuis impenderent, id ea de caussa Benedictus Hæftenus (a) contigisse putat, quod ad pœnitentes Ecclesiæ reconciliandos majus in Eucharistia quam in absolutione positum esse robur ac præsidium crederent; ac præterea absolutionem non nisi loquentibus atque exhomologesi expiatis dari consuevisse. At qui hæc omnia noverant eosdem ignorasse credibile non est, Eucharistiæ Sacramentum per modum cibi ad spiritualem nutritionem animorum institutum fuisse, proindeque mortuis tradi non posse, qui illud nec accipere, nec edere possunt per modum cibi.

XXII. Cum igitur consuetudo ista multas provincias occupaverit, ut diximus, varias ejusdem secundum diversos gentium mores, & populorum ingenia, causas extitisse suspicari licet. Ipse dicerem imperitos quosdam Presbyteros Eucharistiam mortuis concessisse exemplo Paganorum, qui obolum, seu nummum in ore defunctorum inferebant, quo Charonti

(a) Tom. I. p. 1. c. 24. cit. Disquisit. Monast. in Vitam & Reg. S. Benedicti.

ronti portitori ſatisfacerent. Fidem facit hujus rei præter alios Scriptores Lucianus *περὶ πένθος de Luctu*, atque ita ſcribit: ταῦτα οὕτως ἰσχυρῶς περιελήλυθε τοὺς πολλοὺς, ὥστε ἐπειδάν τις ἀποθάνῃ τῶν οἰκείων, πρῶτα μὲν φέροντες ὀβολὸν, ἐς τὸ στόμα κατέθηκαν αὐτῷ μισθὸν τῷ πορθμεῖ τῆς ναυτιλίας γενησόμενον. *Hæc adeo valide vulgi animos perſuaſerunt, ut ſimul atque familiaris quiſpiam mortuus fuerit, primum obolum illi in os inferant, ut ſit portitori trajectionis merces.* Ariſtophanes (a) duos obolos naulo adſignatos fuiſſe narrat, imo etiam auctum ab Athenienſibus Charonti ſtipendium, & uſque ad triobolum excreviſſe. Ad quæ fortaſſe ludens Juvenalis ſic cecinit (b):

. . . . . at ille
Jam ſedet in ripa, tetrumque novitius horret
Porthmea, nec ſperat cœnoſi gurgitis alvum
Infelix, nec habet quem porrigat ore trientem.

Adeo perſuaſum habuere veteres homines quoſcumque facile pecuniæ amore capi, ut inferos quoque deſiderio nummorum vexari crediderint. Ut vero Pagani obolum in ore mortuorum includebant, ut Charon eumdem tam-

quam

(a) In Ranis.
(b) Satyra III.

quam mercedem sibi debitam acciperet, eosdemque sine mora trajiceret, ut quamcitius pervenirent ad inferos, ac proprias decretasque sedes consequerentur, ad hunc modum forte ii cogitarunt, qui mortuis Eucharistiam tribuerunt, ut hi pane Eucharistico muniti, dæmonum superatis devictisque vexationibus, ad cœlestem patriam quam facillime pervenirent; nisi etiam putes hoc usu Christianos gentilium morem sanctificare in animo habuisse.

XXIII. Ut vero arbitrer Christianos veteres panem Eucharisticum mortuis dedisse fere eo fine, quo Pagani obolum in ore iisdem inferebant, quædam alia faciunt, quæ Christiani, Paganorum exemplo, usi sacris mysteriis peregerunt. Cum illis mos esset statis, decretisque anni temporibus ad mortuorum tumulos sacrificare, iisque offerre epulas, arbitrati mortuos iisdem refici & oblectari, sic nonnulli Presbyteri ac laici corporis & sanguinis Christi mysteria eorum exemplo super tumulos defunctorum obtulerunt. Id constat ex Canone *Non oportet* apud Gratianum (a): *Non oportet clericos ignaros, & præsumtores super*

(a) De Consecrat. c. 5. dist. 5.

ſuper monumenta in campum miniſteria portare, aut diſtribuere Sacramenta; ſed aut in Eccleſia, aut in Baſilica, ubi Martyrum reliquiæ ſunt depoſitæ, ibi pro defunctis oblationes offerre. Nec liceat Chriſtianis prandia ad defunctorum ſepulcra deferre, & ſacrificare mortuis. In quem canonem Gloſſa hæc adnotavit: *reprehendit pravam conſuetudinem clericorum & laicorum. Solebant enim ſingulis annis certa die offerre eleemoſynas ſuper tumulos ſuorum mortuorum, & clerici illuc euntes ſecum portabant ſacramenta corporis & ſanguinis Chriſti, & ſuper tumulos ea diſtribuebant: & hæc conſuetudo facta fuit a Gentilibus, qui ſingulis annis menſe februario, die certo, epulas offerebant ſuper tumulos ſuorum mortuorum, quorum animas credebant circa tumulos converſari, & inde refici, ſed dæmones eas de nocte conſumebant.* Ita nimirum Gloſſator ſecundum opinionem, quæ animos multorum veterum tenuit, & recentium etiam aliquorum phantaſiam occupat, tot mirabilia malis geniis tribuendi; qua de re digni ſunt qui perlegantur Van-Dalius & Fontanellius in hiſtoria Oraculorum, horumque oppugnator P. Baltus Societatis Jeſu.

XXIV. Bene Euchariſtia morituris data *Viaticum*

ticum appellata est; eos nimirum longo itinere ad cœlum faciendo corroborans, & ceu pro commeatu inserviens ad aliam vitam commigrantibus, ut vir doctissimus Basilius Pontius opinatur (a). Hoc nomine Eucharistia etiam a Nicænis Patribus A. 325. donata est (b): περὶ δὲ τῶν ἐξοδευόντων, ὁ παλαιὸς καὶ κανονικὸς νόμος διαφυλαχθήσεται, καὶ νῦν, ὥστε, εἴ τις ἐξοδεύοι, τελείου καὶ ἀναγκαιοτάτου ἐφοδίου μὴ ἀποστερεῖσθαι *De iis autem qui vita excedunt, antiqua & canonica lex nunc quoque servabitur, ut si quis vita excedat, ultimo & maxime necessario Viatico ne privetur* (c). Eodem etiam sæculo Eucharistiam *nostri itineris Viaticum* Gaudentius nominavit. Verum nomen hoc retinuit etiam posteaquam morem

(a) Variar. Disput. q. 2. p. I. n. 1.
(b) Can. XIII.
(c) Antiquissima ex Nicæno hoc canone consuetudo, ut moribundis daretur Eucharistia, ne quis sine necessario viatico ex hac vita discederet, a Græcis huc usque observatur, & cæteris omnibus Orientalibus. Ex qua consuetudine certo colligitur hos non minus, quam primitivam Ecclesiam, credere ipsius sacerdotalis consecrationis virtute elementa panis & vini fieri id, quod antea non erant; neque in solo usu & manducatione; hoc est *in Cœna Domini*, recipi corpus Christi, quod Anglicanæ Ecclesiæ pseudo-reformatores falso contenderunt; quorum tamen argutiæ hac sola antiquissima consuetudine penitus exturbantur, ut viri docti jam pridem observarunt.

morem communicandi mortuos concilia prohibuerunt; ut inde argumentari liceat *Viatici* nomen ex memorato abusu non fuisse impositum Eucharistiæ; cum ratio adsit non incongrua, ut initio diximus, quare eo nomine sit insignita.

XXV. Enumeratis fere hactenus panis Eucharistici usibus accedimus modo ad illos exponendos qui Eucharistico Calice perfecti esse dicuntur. Græci quemadmodum Christi Sanguine infantes recenter natos potaverunt ad ostendendam in ipsis Ecclesiæ benedictionem, sic eodem Sanguine hæreticorum anathemata aliquando subscripsisse in signum æternæ damnationis ac maledictionis perpetuæ, plerique sibi persuaserunt. Ita nimirum se se gessisse credunt singularia ingenia Græcorum, ut horrorem quoque populo injicerent in eos, quorum memoriam atque personas terribili hac cæremonia devovebant. Hoc modo Pyrrhus Patriarcha CP. primo exauctoratus, ac damnatus fuisse vulgo creditur. Is Sergio Monotheletarum hæreseos propagatori suffectus est A. 368 Eadem labe & ipse infectus, quæ Sergius Cyrusque decreverant, roborare viribus omnibus, & confirmare studuit. At cum A. 641. Constantinus, Princeps Catholicus, ac paren-

parentis Heraclii in imperio successor a Martina noverca veneno sublatus e vivis fuisset, suspicioque increbuisset Pyrrhum ad atrox facinus operam etiam dedisse, populi tumultu ab urbe exire compulsus est. Cum in Africam se recepisset A. 645. de duplici in Christo Domino voluntate, duplicique operatione disputationem cum S. Maximo Homologeta habuit celeberrimam, præsentibus Episcopis illustrioribus, viris nobilibus, ipsoque etiam Gregorio Patricio, qui Provinciæ præerat. Hac in disputatione absurditatem dogmatis Monotheletarum agnovit. Persuadenti tum Maximo, ut Romam pergeret, fidemque Theodoro Pontifici exponeret suam, libenter assentitus est, Romamque accessit humanissime exceptus a Pontifice, honoratusque uti regiæ Urbis Patriarcha, quum nullo adhuc canonico judicio depositus fuisset, & Monotheletarum perversam doctrinam coram ipso Pontifice ejuravisset. Roma inde relicta Ravennam concessit, ubi Olympii exarchi persuasionibus in castra Monotheletarum, a quibus Romæ aufugerat, iterum se recepit, spe maxima etiam concepta denuo potiundi Patriarchatus, quem Paullus occupaverat. Rei certior factus Theodorus, justa ira commotus in Basilica Principis

D Apo-

Apostolorum A. 648. Concilium illico coegit, eumque condemnavit; calamo etiam in sacrato Christi sanguine intincto, uti narrat Theophanes, cujus verba hic exscribimus (a), ceu dicendis lumen allatura: τῆς δὲ Ῥώμης, inquit enarrata prius Pyrrhi pœnitentia & relapsu, ὑποχωρήσας, καὶ ἐν Ραβέννῃ ἐλθὼν ὡς κύων ἐπὶ τὸν ἴδιον ἐξέραμα ὑπέστρεψεν· τοῦτο δὲ μαθὼν ὁ Πάπας Θεόδωρος, τὸ πλήρωμα τῆς Εκκλησίας συγκαλέσας, καὶ τὸν τάφον τοῦ κορυφαίου καταλαβὼν, αἰτήσας τὸ θεῖον ποτήριον ἐκ τοῦ ζωοποιοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ τῷ μίλανι ἐπιστάξας τῇ οἰκείᾳ χειρὶ τὴν καθαίρεσιν Πύῤῥου, καὶ τῶν κοινωνούντων αὐτῷ ποιεῖται. *At inde Roma clam se subducens Pyrrhus cum Ravennam appulisset, ad vomitum canis instar reversus est. Id ubi Theodorus Papa cognovit, universo Ecclesia conventu convocato, ad Principis Apostolorum sepulcrum adstans, calice divino expostulato, ex vivifico Christi Sanguine atramento affundens, Pyrrhi cæterorumque, qui cum eo communicarent, abrogationem & condemnationem propria manu exaravit.*

XXVI. Theodorum Pontificem e Græcorum gente

(a) Ad An. XX. Heraclii pag. 275. edit. Parif. A. 1655.

gente Pyrrhum hac ceremonia secundum peculiarem suorum ritum condemnasse Pagius arbitratur (a): *Hic ritus*, inquit, *peculiaris Græcorum fuit, a Theodoro tamen, licet hujus facti Anastasius mentionem non fecerit, in damnatione Pyrrhi usurpatus*. Patruum suum exscripsit Franciscus Pagius in Breviario Pontificum Romanorum. Protestantes interim factum hoc tragice exaggeraverunt, proque indubia re habuerunt, eo etiam maxime momento ducti, quod simili ceremonia Photius a patribus Concilii Constantinopolitani VIII. damnatus fuisse dicatur.

XXVII. Revera Nicetas cognomento David Paphlago in vita S. Ignatii Patriarchæ CP. hisce verbis Photii facinora, & condemnationem commemorat: *a legatis Romanis ipsoque Imperatore & toto Senatu admonitus Photius, ut veniam precaretur, & saltem tamquam laicus ad fidelium communionem reciperetur, superbo & contumaci animo consilium penitus repudiavit. Ergo communi omnium æquissimoque judicio damnatur, anathemateque percellitur, veluti violator & adulter, maximarumque calamitatum, & infinitarum offensionum, ac scandalo-*

D 2 rum

(a) In Crit. Baron. ad A. 648.

rum in Ecclesia Dei auctor, & pronunciat Synodus juxta Nicolai Papæ sententiam qua primum Photius maturo cum judicio, canonicaque seu synodica fuerat depositione damnatus. Ὑπογράφουσι δὲ τῇ καθαιρέσει, οὐ ψιλῷ τῷ μέλανι τὰ χειρόγραφα ποιούμενοι, ἀλλὰ τὸ φρικωδέστατον: ὡς τῶν εἰδότων ἀκήκοα διαβεβαιουμένων, καὶ ἐν αὐτῷ τοῦ Σωτῆρος τῷ αἵματι βάπτοντες τὸν κάλαμον, οὕτως ἐξεκήρυξαν Φώτιον, οὕτως αὐτὸν κατεδίκασαν, καὶ πάντας τοὺς χειροτονουμένους ὑπ' αὐτοῦ. *Subscripsere Episcopi depositioni calamis non simplici atramento, sed horrendum dictu! ut eos qui rem norunt asseverantes audivi, ipso Salvatoris Sanguine tinctis. Ita inquam demum Photium exauctorarunt, damnaruntque, unaque omnes ab illo sacris initiatos.* Hæc Nicetas, qui tamen profitetur se hanc de calamis Christi sanguine tinctis historiam solo auditu didicisse. Hujusce tamen ceremoniæ nulla mentio fit in vita Hadriani R. P., nulla in actis Concilii ejusdem octavi, quæ integerrima habemus, quæque latine vertit Anastasius Bibliothecarius, qui Photii amicitiam aliquandiu coluisse fertur, ac deinde acriter perstrinxit, ut animadvertere licet in præfatione translationis eorumdem actorum, quam Hadriano II. Papæ nuncupavit. Denique ritus tam terribi-

lis

lis, in Photii damnatione, ut fertur, adhibiti, vestigium iis in Historicis nullum invenire licet, qui quum Photii alioquin satis certa facinora exaggeraverint, mirum sit eos ejusdem memoriæ tantæ ceremoniæ silentio atque oblivione pepercisse. Quum enim diligenter accurateque omnia perscrutarentur, quæ hominem jam multum diffamatum, invidiosum ultra, atque exsecrabilem possent efficere, satis opportune singularis illius ceremoniæ meminissent, quæ plurimum valebat ad ostendendum, quo horrore Photii contumax ingenium, dogmata, & immania gesta, prosecutum fuisset Concilium universum.

XXVIII. His atque etiam aliis obnoxia est animadversionibus Pyrrhi damnatio, ita uti à Theophane scripta est. Non enim adeo facile quis sibi persuaserit Theodorum, qui teste auctore Libri Pontificalis (a) *fuit benignus super omnes & multum misericors*, in regiæ Urbis Patriarchæ exauctoratione eo fuisse usum ritu, cujus exemplum nullum extabat in utriusque Ecclesiæ monumentis. Nam licet minorum Ecclesiarum Antistites formulas aliquando nescio quas introduxerint, quum de iis nihil

(a) In Theodoro.

ſcriptum invenirent, ſibique fas eſſe ducerent nova plane & inuſitata in ritus Eccleſiaſticos inducere, hanc tamen licentiam Romæ Epiſcopos ſecutos fuiſſe ægre conceſſerim in re tam gravi, cujuſmodi ea eſt, de qua in præſentia diſputamus. Nec dubium eſſe poteſt Theodorum ſanctum & doctum Pontificem, quamquam Græcum, Romanæ Eccleſiæ ritus uſuſque adamuſſim ſervaſſe. Porro hujus Eccleſiæ mos fuit chartas non quidem Chriſti Sanguine obſignare, ſed eas ſuper altaria ponere, in quibus ſacra myſteria peragebantur (a). Ita Stephanus III. Carolum Magnum, & Carolomannum, Francorum reges, adjurans ne ſororem ſuam Giſilam Adalgiſo filio Deſiderii, Regis Longobardorum, in conjugium darent, neve alter eorum ejuſdem Deſiderii filiam conjugem acciperet, adjurationis chartam B. Petri confeſſioni impoſuit, ſacrificium ſuper eam obtulit, & ita tum lacrymis ad illos direxit. Sic legitur in laudati Pontificis Epiſtola III. in qua memoratos Principes hiſce ver-

(a) Chartas etiam donationum ſuper aras ponere, in quibus ſacra peragebantur, latinis ſolemne fuit. Conſtat id cum multis ſcriptoribus, tum præcipue ex Marculpho Monacho, qui ſæculo VII. floruit in Lib. I. Formularum c. 1. quem eruditis doctiſque annotationibus illuſtravit Bignonius.

verbis alloquitur (a): *præsentem itaque nostram obtestationem, atque adjurationem in Confessione B. Petri ponentes, & sacrificium super eam, atque hostias Deo nostro offerentes, vobis cum lacrymis ex eadem sacra Confessione dreximus.* Hoc modo etiam Leonis Papæ IX. legati, Humbertus Cardinalis, Sylvæ Candidæ Episcopus, Petrus Amalphitanorum Archiepiscopus, & Fridericus Diaconus, in Michaelem Cerularium, verum Græcorum schismatis auctorem, Leonem Acridanum & alios excommunicationem Constantinopoli, hoc est sub oculis Græcorum, pronuntiarunt, ut constat ex *Commemoratione* ipsius Humberti (b), cujus hæc sunt verba: *Præfati Nuntii 17. Kalend. Augusti adierunt Ecclesiam S. Sophiæ, & super obstinatione Michaelis conquesti, Clero ex more ad missas præparato, jam hora tertia die Sabbati, Chartam excommunicationis super principale Altare posuerunt sub oculis præsentis Cleri, & populi. Inde mox egressi etiam pulverem pedum suorum excusserunt in testimonium illis dictum Evangelii promulgantes: videat Deus & judicet* (c).

(a) Tom. VIII. Concil. Collect. Labbæi.
(b) T. 18. Biblioth. PP. & apud Leonem Allatium Diss. II. *De Lib. Ecclesiast. Græc.*
(c) Formulam excommunicationis quippe singularem hic

His atque aliis ceremoniis Romàni Pontifices, eorumque ablegati usi sunt, dum in hæreticos, etiam teterrimos, animadverterunt; nunquam vero sacratum usurparunt Christi Sanguinem.

XXIX. Hinc intelligimus cur nec ante Theodorum, nec post sic hæreticos condemnare unquam Pontifices consueverint. Quod quidem mirum videri haud debet, quum nec ipse Theodorus ea ceremonia damnaverit Paullum, Pyrrhi successorem, licet ille Ecclesiæ infestior fuerit, *omnesque prædecessores suos in fidei oppugnatione superarit*, ut verbis utar (a) Martini I. Sane falluntur Baronius, Sandinius, cæterique multi contendentes Paullum fuisse eo in Concilio Romæ damnatum, in quo Pyrrhus anathemate percussus est. Paullum extra Concilium fuisse exauctoratum clare indicat

Li-

---

hic placet exscribere: *Michael abusivus Patriarcha, neophytus, ex solo humano timore habitum Monachorum adeptus, nunc etiam criminibus pessimis diffamatus; atque cum eo Leo Acridanus Episcopus dictus . . . . Et omnes sequaces eorum in præfatis erroribus & præsumptionibus, sit Anathema Maranatta cum Simoniacis, Valeslis, Arianis, ac cum omnibus hæreticis, imo cum Diabolo & Angelis ejus, nisi forte resipuerint. Amen, Amen. Amen.* De formulis hic adhibitis agit Basnagius Tom. II. Annal. Diss. III.

(a) Secret. 1. Concil. Lateran.

Libri Pontificalis auctor (a), qui enarrata Pyrrhi damnatione refert corporum Ss. Mm. Primi & Feliciani translationem sub Theodoro factam, ac inde addit: *Sanctissimus Theodorus Papa scripsit Paullo, Patriarchæ regiæ Civitatis, tam rogans, quam regulariter increpans; nec non per Apocrisarios per hoc maxime destinatos præsentialiter admonens & contestans; quatenus proprium emendaret commentum, atque ad orthodoxam fidem Catholicæ Ecclesiæ remearet. Et neque rogantes, neque increpantes potuerunt eum a suo conamine quoquo modo revocare. Propter quod ab Apostolica Sede ipse depositionis ultione perculsus est.* Eadem fere leguntur in actis (b) Concilii Lateranensis: Quum hac in narratione nulla alterius Concilii mentio fiat, Paullum extra Synodum post Pyrrhi exauctorationem damnatum fuisse absque erroris metu concludendum est. Nec recte quis dixerit cum nupero auctore adnotationum ad vitas RR. Pontificum a Platina scriptas (c) Paullum *implicite* cum Pyrrho ictum fuisse anathemate; nam nihil tum contra Paullum

a

(a) Loc. cit.
(b) Secret. I.
(c) In Theod.

a Theodoro actum ex citatis verbis *Libri Pontificalis* discimus, quibus constat Theodorum cum Paullo (cujus impietatis nondum fuerat probe conscius) adhuc communicasse, atque inde egisse, quàmvis frustra, ut eumdem ad saniora consilia, melioremque doctrinam revocaret. Nec dubium ullum esse potest, quin res acta hoc modo sit; nam *Libri Pontificalis* auctor, aliique expressam Paulli mentionem utique injecissent, si Romano in Concilio eadem in illum lata sententia fuisset; juxta morem scilicet Scriptorum & Conciliorum fermo omnium, quorum in actis, scriptisque Hæreticorum capita nominatim recensentur, in quos anathema pronunciatur. Igitur Theodorus extra Synodum, & quidem postremis vitæ suæ diebus Paullum exauctoravit (a). Si ergo in condemnatione Paulli, cujus horret animus scelera percurrere, consueta usus est Theodorus ceremonia, novam ne ac plane insolitam

(a) Typum vero Constantis, seu eam fidei formulam sub pacis & unionis larva evulgatam ab eodem Paullo, ne quis imposterum auderet de una, vel duplici Christi voluntate disputare, Martinus I. rejecit, ut ostendit Combefisius in Historia Monotheletarum §. 13. Typum hunc in hominem hæreticum, & Paulli CP. discipulum pingui metamorphosi Vasquesius transformavit in 3. p. S. Thomæ disput. 73. c. 1.

tam cum in Pyrrhi exauctoratione adhibuisse dicemus?

XXX. At hujus certe rei, quidquid scribat Theophanes, non meminere, qui meminisse poterant, ac facile debebant. Theodorum solemniter anathema Pyrrho dixisse Patres Concilii Lateranensis, auctor *Libri Pontificalis*, & Theophanes ipse noverant, idque satis indicant ea verba τὸ πλήρωμα τῆς ἐκκλησίας, quibus totum indicari Ecclesiastici Cleri conventum patet ex Euchologio & Chrysostomi Basiliique Liturgiis. Sed a latinis Scriptoribus novimus quidem Pyrrhum solemniter damnatum fuisse, at ejus sententiæ Theodorum calamo in sacrato Christi Sanguine intincto subscripsisse àb uno Theophane didicimus, qui rem Romæ factam, & toto proinde orbe vulgatam, Græcis suis prodidit, quam historia tamen omnis latinorum ignorat. Libenter profecto id facti exciperem, si traditum litteris fuisset a Patribus Lateranensis Concilii, A. 649. celebrati, hoc est insequenti a Pyrrhi exauctoratione. Verum isti, quorum aliqui dubio procul Romano Concilio interfuerant, nihil ejus ceremoniæ actis, quæ græce latineque vulgari quaquaversum Martinus I. procuraverat, inseruerunt; hæc enim sunt eorumdem

verba

verba (a) post enarratam Pyrrhi pœnitentiam; indeque relapsum: ταῦτα δὲ ποιήσας ὕστερον πάλιν δίκην ἀκαθάρτου κυνὸς τὸν ἴδιον ἐξέμημα τῆς ἀβεβείας ἐπέστρεψεν ἔνδικον μισθαποδοσίαν τῆς οἰκείας ἀποστασίας εὑράμενος τὴν κανονικὴν ἐπιτιμίαν. *His itaque ab eo peractis postea rursus more canis ad proprium impietatis vomitum repedavit, justam mercedem ac retributionem canonicam pœnam sive depositionem decerpens*. Quæ postrema verba sæpe offenduntur in sacris illius ætatis scriptoribus ad significandas hæreticorum damnationes ritu solito peractas & subsignatas.

XXXI. His atque aliis probatissimis monumentis instructus auctor *Libri Pontificalis* hoc modo Pyrrhi historiam complexus est (b). *Ipsis temporibus venit Pyrrhus ex Africa, qui fuerat Patriarcha CP. in Urbem Romam, ad limina Apostolorum, qui ingressus libellum obtulit cum sua subscriptione Apostolicæ nostræ Sedi in præsentia cuncti cleri & populi, condemnans in eodem libello omnia, quæ a se vel a decessoribus suis scripta vel acta sunt adversus immaculatam nostram fidem. His itaque ab eo fa-*

ctis

(a) Loc. cit.
(b) Loc. cit.

ctis fecit eum (Theodorus) *munera erogare in populum & cathedram ei poni juxta altare, honorans eum ut sacerdotem regiæ Civitatis. Postea rursum more canis ad proprium impietatis vomitum repedavit. Tunc Sanctissimus Theodorus Papa convocans universos sacerdotes & clerum in Ecclesia B. Petri Apostolorum Principis condemnavit eum sub vinculo anathematis, justam mercedem ac retributionem propriæ transgressionis canonicam pœnam sive depositionem decerpens*. Idem scriptor in vita Agathonis sermonem habens de sexta Synodo, in qua dogmata & acta Monotheletarum attente discussa sunt, damnatique propriis nominibus Monotheletæ famosiores, tantum refert horum nomina e diptychis, imagines vero ab Ecclesiis porticisque erasas fuisse. Jam vero cui gravem falsi suspicionem in Theophanis enarratione non ingerat Scriptoris *Libri Pontificalis* silentium? Ita ne insolitæ damnationis rumor ultra post centum & quinquaginta annos percussit aures Theophanis, in Sigrianæ Monasterio prope Cizicum scribentis; ab homine autem Romæ degente, gestaque Romanorum Pontificum perquirente, exaudiri non poterat? Poterat sane iste Theophane facilius rei gestæ monumenta nancisci, & famam audire

dire rem inusitatam adhuc loquentem; nam quamvis vitæ illæ Romanorum Antistitum, quæ in *Libro Pontificali* continentur, a diversis scriptoribus fuerint confectæ, hi tamen fuerunt Pontificibus, quorum gesta scripsere, fere æquales, ut putat Ciampinius, qui librum illum diligentissime expendit (a). Paterer utique non illibenter, ut indiligentiæ accusaretur *Libri Pontificalis* scriptor, si Pyrrhi exauctorationem, quæ ipsi statim singularem in eà ritum primo adhibitum in memoriam revocabat, non enarrasset, aut rerum non meminisset minoris momenti. His si Patrum Lateranensium silentium etiam adjungatur, plane conficietur hoc argumentum, quamvis ex silentio ductum scriptorum, maximam habere vim ad rejiciendam Theophanis enarrationem.

XXXII. Sed parum profuerit, inquiet aliquis, Anastasii, seu illius, qui est auctor *Libri Pontificalis*, silentium adducere, quum Theophanis narrationem firment alii græci latinique Scriptores. Vereor ne horum in testimonio majus statuatur robur quam reipsa sit. Quo auctore Theophanes discere potuerit singula.

(a) Exam. *Libri Pontificalis*. Tom. III. Script. Rer. Italic.

gularem illam ceremoniam ; cujus hactenus verba fecimus , infra aperiemus , modo tantum animadvertimus cæterorum testimonia scriptorum nec minimum ponderis addere facto illi a Theophane scripto, quum demonstrari facillime possit illos omnes ab ejusdem Chronographia aquam bibisse. E græcis scriptoribus solus auctor *Libelli Synodici* , qui vixit post annum 869., quum res hujus anni commemoret, laudari potest. At hic tute ipse videas quam bene Theophanem exscripserit (a): Αὐτὸς δὲ τὴν Ῥώμην καταλαβὼν , inquit , ὡς πρεσβύτερος , λίβελλον ὀρθοδοξίας ἐπέδωκεν · ὃς ἐν Ραβέννῃ γενόμενος, ἐπὶ τὸν ἴδιον , ὡς κύων, ἐπανέστρεψεν ἔμετον. Ὅπερ μαθὼν Πάπας ὁ μακαρίτης Θεόδωρος, ἣν γὰρ τὸν ὅσιον Ἰωάννην διαδεξάμενος , τὸ πλήρωμα τῆς ἐκκλησίας προσκαλεσάμενος , καὶ τὸν τάφον τοῦ κορυφαίου τῶν Ἀποστόλων Πέτρου καταλαβὼν , αἰτήσας τὸ θεῖον ποτήριον , ἐκ τοῦ φρικτοῦ , καὶ ζωοδότου αἵματος Χριστοῦ ἐπιστάξας τῷ μέλανι οἰκείᾳ χειρὶ τὴν καθαίρεσιν αὐτοῦ , καὶ τῶν αὐτῷ κοινωνούντων πεποίηκεν. *Ipse vero* (Pyrrhus) *Romam profectus tamquam Presbyter libellum orthodoxæ confessio-*

(a) Vol. XI. Bibl. Græcæ Jo: Alb. Fabricii pag. 185. & T. 5. Concil. Harduini.

fessionis obtulit, sed Ravenna postea instar canis ad proprium reversus est vomitum. Quod cum Beatus Theodorus, qui Sancto Joanni successerat, intellexisset, universa Ecclesia convocata, & sepulcro Apostolorum Principis Petri occupato, divino etiam calice postulato, ex vivifico & tremendo Christi Sanguine atramento affundens, propria manu depositionem ejus, & eorum, qui cum ipso communicarent, exaravit. Alto etiam hic scriptor silentio involvit honores a Theodoro Pyrrho habitos, ne quid enarraret quod Theophanes non haberet. Mirum ad Græcos solius Theodori severitatis, nullum benevolentiæ documentum pervenisse!

XXXIII. Eumdem Theophanem exscripsit diligenter Anastasius Bibliothecarius, sæculi IX. Scriptor in Historia, quam ex Theophane, aliisque Græcis confecit: *Interea*, inquit, *cum Pyrrhus Roma discessisset, Ravennamque pervenisset, ut canis ad vomitum suum conversus est. Quo Papa Theodorus comperto, plenitudine convocata Ecclesiæ ad sepulcrum verticis Apostolorum accessit, & divino calice postulato, ex vivifico Sanguine atramento stillavit, & ita propria manu depositionem Pyrrhi, & ei communicantium fecit*: Huic Anastasii ex Theophane versioni, ne variato quidem

com-

commate adhæsit auctor Anonymus *Historiæ Miscellæ* ex Paullo Diacono, Landulpho Sagace, ac aliis excerptæ, atque sub nomine Paulli Diaconi a plerisque laudatæ (a). Hinc factum ut fere omnes, qui Pyrrhi damnationis insolitæ meminerunt ex Theophane, eidem Paullum Diaconum adjunxerint, & primo etiam loco tamquam testem clarissimum commemoraverint, quod Chardonius fecit (b). Quum vero, uti diximus, auctor *Libri Pontificalis*, cujus auctor Anastasius vulgo audit, nullam illius Sanguinis Christi usus mentionem fecerit in Vita Theodori, in Historia autem Anastasius ejus rei post Theophanem clare meminerit, conjicere inde licebit eandem Theodori vitam ab Anastasio non fuisse scriptam, sed ab alio vetustiori auctore prodiisse, firmarique proinde eruditi Ciampinii sententiam, in laudato *Libri Pontificalis Examine* ita loquentis: *Historiam Romanorum Pontificum, quæ sub titulo* Libri Pontificalis *sive Damasi aut Anastasii circumfertur, a pluribus exaratam existimamus. Nihilominus ut autographæ, genuinisque e scripturis excerptæ, maximam ac*

E sum-

(a) Tom. I. Script. Rer. Italic.
(b) In Hist. Sacrament. Lib. 3. c. 12.

summam habendam esse fidem censemus; præcipuè cum propter antiquitatem eximiæ venerationis sit, ac tot sæculorum consensu ab Ecclesia recepta, utpote quæ litteris consignata fuerit à Scriptoribus, qui vel Pontificibus, quorum gesta scripsere, coævi, vel paulo juniores fuerunt. Ex dictis igitur satis esse manifestum puto veteres omnes, qui Pyrrhi condemnationem calice Eucharistico firmatam memorare voluerunt, Theophanem exscripsisse ac proinde ceremoniam celeberrimam, quamvis Romæ, si fides memoratis narrationibus habeatur, coram omni populo & clero adhibitam, ignotam futuram fuisse toti latinorum genti, nisi eam ab homine græco didicisset. Id igitur exploratum firmumque sit quum pro illius facti confirmanda veritáte Paullus Diaconus, auctor *Libelli Synodici*, aliive laudantur, non alios quam Theophanem laudari, quem illi hac in re diligentissime exscripserunt. Licet autem *Synodicon* istud, judice Allatio, accuratissime confectum sit; *Historia* autem *Miscella* a multis citari soleat; ac proinde esse istis adjungendam fidem quis velit eo quod Theophanis narrationem non excepissent, si res aliter se habuisset, dicimus hæc adhuc neminem persuadere posse. Quis enim

nesciat

nesciat hoc eis plerumque contingere ; qui compendiis scriptitandis student , aut centonibus consuendis ex plurium scriptorum elucubrationibus , uti vere sunt modo memoratæ scriptiones , ut non minori cura errata exscribant, quam quæ sunt veritati consona ; quia videlicet non suas, sed aliorum sententias repræsentare satagunt, nec alios corrigere curant, sed referre ? Hanc scribendi rationem cum secuti fuerint, qui laudantur, scriptores, non majorem quam Theophanes promerentur fidem .

XXXIV. Nescio vero an Theophanes hoc in facto sit absque examine, aut dubitatione excipiendus. Quamquam certæ fidei habeatur Historicus rerum Byzantinarum quæ ejusdem ætate contigerunt, peccavit tamen adeo multa cum res in Occidente gestas enarrandas suscepit, ut apud doctos viros ἄμυθος scriptor audire non possit . Jacobus Goarius , qui ejus *Chronographiam* Parisiis edidit A. 1655. plura in ea animadvertit præter morem interpretum reprehensione & castigatione digna ; incultum scilicet horridumque stylum ex trivio & compitis, incultæve plebis ore collectum ; inemendatum etiam ad leges grammaticorum & solœcismis , barbarisque dictionibus intersper-

ſum. Repetitiones quoque in ea obſervat penitus inutiles, rerum geſtarum metatheſes, & contradictorias narrationes; ac tandem concludit (a): *Errorum ſane hujuſmodi, ſi cauſſam diceret, non aliam, me conjectore, quam variorum auctorum ſententias, numeroſque varios ſecutum, opuſque proprium, urgente perſecutionis neceſſitate, non recenſuiſſe proferret*. Ac re quidem vera expolitum & ordinatum opus errorumque vacuum a Theophàne non erat expectandum, qui inter multas graveſque Monaſteriorum curas perpetuo verſatus eſt, & diuturnas adeo vexationes ſuſtinuit pro ſacris imaginibus.

XXXV. Goarii judicium facile exceperunt Caveus (b) & Oudinus (c). Sed hic, qui ſanctos viros nihil omnino ſcripſiſſe vellet, momenta ſibi haud deeſſe ſcribit, quibus illam Chronographiam a Theophane abjudicet. Præcipuum autem momentum ex eo promit, quod Theophanes chronòlogica Alexandrinorum ſupputandi ratione uſus ſit: *Quis autem credat*, inquit, *ſi vere Chronographiæ hujus auctor Theopha-*

(a) Pag. 547. edit. Pariſ.
(b) In Sæcul. Iconoclaſt.
(c) Comment. de Script. Eccleſiaſt. Sæcul. VIII. & IX.

phanes; Agri Abbas, extitisset; utpote in aula Constantinopolitana educatus & honoratus, alia usum fuisse supputandi ratione, quam qua apud Constantinopolitanos obtinebat? Hac enim ratione invidiam sibi omnium odiumque comparasset. At quis non miretur Oudinum, hominem hypercriticum, tantum huic animadversioni detulisse? Chronographiæ proemio perlecto cognovisset illico animadversionem hanc flocci esse faciendam. In eo namque scribit Theophanes sibi fuisse propósitum Georgii, Tharasii Patriarchæ CP. quondam Syncelli, Chronicon prosequi. Hinc Opus suum exorsus est ab anno Diocletiani primo, ad quem Georgius Syncellus inchoatam ab orbe condito historiam perduxerat. At quum hic Æram Alexandrinam usurpaverit, æquum non erat, ut diversam Theophanes adhiberet, illius historiæ continuator. Maximus etiam erat Theophanis ætate apud Constantinopolitanos, præcipue apud Monachos, Æræ Alexandrinæ in Ecclesia usus, ut ante nos Henschenius, & Papebrochius observarunt (a). Cæteris conjecturis & ratiunculis, quas adjicit Oudinus, ex tabulis Chronographiæ præmissis,

 dictio-

(a) Tom. III. Act. SS. Martii ad diem XII. in Exegesi &c. c. 1. sect. IV.

dictionisque barbarie desumptis, exsolvendis ea sufficiunt, quæ Goarius, & laudati modo doctissimi Bollandistæ observarunt. Revertor nunc ad rem, a qua me paululum abire coegit, inepta Oudini conjectatio.

XXXVI. Plura sane non levis momenti errata, quæ admisit Theophanes, Gallos præcipue Scriptores eo adduxere, ut nullam vel certe modicam eidem haberent fidem, cum res narrare voluit in Occidente gestas. Bossuetus in *Defensione Declarationis Cleri Gallicani* inquirens (a) an Græci Historici a Baronio & Bellarmino in Gregorii II. ac Leonis Isauri rebus adducti indirectæ potestati Pontificum in bona Principum faveant, adducto duplici Theophanis testimonio, inquit: *Theophani vero græco quemadmodum de Græcorum rebus recenti memoria scribenti fidem non detrahimus, ita cum de Occidentis rebus scriberet nihil nisi rumusculos collegisse credimus &c.* Idem sentiunt Natalis Alexander multis in locis Ecclesiasticæ Historiæ, Dupinius (b), & alii, aut rerum Ecclesiasticarum cognitione, aut critices peritiâ laudatissimi. Bossuetus porro ultrà progressus est, & Theo-

(a) P. II. Lib. 6. c. 12.
(b) Diss. VII. de Antiq. Eccl. Discipl.

Theophanem cum iis etiam Græcorum Hiſtoricis involvit, qui amiſſae Romæ memores, odio ac livore in Eccleſiam latinam debacchati ſunt; qua de re vere ac ſapienter fuit a Mamachio reprehenſus (a). Quidquid autem ſit ſtatuendum de controverſiis Gallos inter & Romanos diu multumque agitatis, quarum etiam cauſſa citati modo ſcriptores illam de Theophane ſententiam pronunciarunt, hoc ab iiſdem jure ac merito dictum videtur excepiſſe illum perſæpe incertos vagoſque vulgi rumores, & fabulas inſignes reperiri in ejus Chronographia, reſque pugnantes omnino cum tota eorumdem hiſtoria. Hoc in numero cenſentur, quæ de Merovingicis Regibus narravit (b); eam nempe apud Francos fuiſſe conſuetudinem, ut horum Rex jure hæreditario adſequeretur principatum, nec tamen ageret quidquam aut moliretur quam præter modum decuſque cibo ac potui indulgere, domique incluſus perpetuo commorari, die prima menſis Maii excepta, in qua toto ſpectante populo in throno ſalutandus ſedere conſueverat,

 mune-

(a) Orig. & Antiquit. Chriſt. Lib. IV. pag. 216. & ſeq.
(b) Pag. 337. edit. Pariſ.

munera & urbanitatis officia accepturus simul & redditurus. Quibus demum factis usque ad anni insequentis mensem Majum domi se continebat, rerum agendarum delegato aliis ministerio. *Qui autem*, concludit Theophanes, *ea stirpe oriebantur, cristati, quos trichoracbatas Græci vertunt, audiebant, quod pili ex dorsi medio, velut porco, ipsis enascerentur*: ἐλέγοντο ἐκ τοῦ γένους ἐκείνου λεγόμενοι κριστᾶται, ὃ ἑρμηνεύεται τριχοραχάται· τρίχας γὰρ οἷον κατὰ τῆς ῥάχης ἐκφυομένας ὡς χοίρῳ. Ob quæ vir mitissimi ingenii Goarius exclamare compulsus est (a) : *monstrum Francis ipsis, quibus accidisse narratur, incognitum*. Alia fabularum proferri ex eadem Chronographia exempla possent, sed plura in hunc locum ingerenda non videntur.

XXXVII. Merito hinc suspicio enascitur Theophanem singularem illam ceremoniam, qua usus dicitur Theodorus cum Pyrrhum exauctoravit, e vulgi rumoribus collegisse, græcumque hominem sic egregie hallucinatum, tantis leucis a Romana urbe distantem, latinorum disciplinæ ignarum, aliis errandi locum dedisse. Nemo enim nescit quam frequenter, quam facile eos errare contingat, qui narrationem aggre-

(a) Pag. 610. edit. Paris.

aggrediuntur rerum a se vel locorum spatio; vel temporum intervallis longe remotarum; & multo etiam facilius labi si pleraque ex rumore narrare soleant; a quo proposito Theophanem non fuisse alienum satis jam diximus. Nam quod scribit Chardonius (a) singularem illum in Pyrrhi condemnatione ritum adhibitum, a Theophane fuisse commemoratum post alios, quos tamen ipse ignorat, historicos, qui illius ante ipsum primo meminerant, mera ariolatio est, quum id sumat pro certo, quod probandum omnino fuisset; nihil scilicet Theophanem mandasse litteris, nisi quod jam antea fuisset ab aliis scriptum. Reor igitur ipse Pyrrhi condemnationem a Monotheletis exornatam clamoribus fuisse, quibus innixus Theophanes eosdem retulerit. Sane Monotheletæ Constantinopolitani, qui longa ira in Ecclesiam latinam æstuabant, ea solum tunc evulgasse credibile fuerit, quæ animos Græcorum jam exulceratos acerbius incendere in latinos poterant, cujusmodi fuisset certe terribilis ea Pyrrhi Romæ facta damnatio. Monotheletæ videlicet omnium primi Romanis dicam scripserunt (b); eorumque opera Patriarchæ Constanti-

(a) Loc. cit.
(b) Lequien Diss. I. Damasc. & in *Panoplia* inf. cit. sæculo VIII. c. 2.

ſtantinopolitàni, aliique Orientis Præſules omnem exuere reverentiam in Romanam Eccleſiam cœperant. Hujus ſimultatis & odii cauſa multiplex fuit, atque in primis Byzantinorum Præſulum audax ambitio, quam ſemper Romani Epiſcopi retundere ſategerunt. Eandem ſimultatem variæ pernicioſæque hæreſes jam ante firmaverant, quarum regiæ illius Civitatis Antiſtites ſe duces, anteſignanoſque fecerant, Apoſtolicæ Romanæ Sedis invictam in fide conſtantiam jugiter experti. Quare non ita pridem Monotheletici erroris vindices in ſuis cum Maximo concertationibus veræ doctrinæ validiſſimis argumentis ſuperati, eo tandem devenerant, ut libenter eidem permitterent duas voluntates duaſque operationes in Chriſto Domino dicere ac docere, dummodo communioni Romanæ Eccleſiæ valediceret (a). Tanta erat horum hominum in hanc Eccleſiam acerbitatis, atque odii magnitudo. Hinc iidem, peſſimi ſane mortalium, diu multumque laborarunt in vocibus ridiculis, ac ſtrophis divulgandis, Eccleſiæque codicibus ac Patrum ſcriptis ſanctioribus corrumpendis, ut ex actis ſextæ Synodi ſub Agathone, ex aucto-

(a) Lequien loc. cit. Panopl.

auctore *Libri Pontificalis* aliisque bene multis constat Ecclesiasticæ Historiæ documentis. Sed de Monotheletarum loquacitate ac fraudibus & multis & diligenter disputavit Joannes Bartholus (a), vir tantæ naris in corruptis, depravatisque rebus deprehendendis, ut omnia ferme illius temporis acta corruptionis plena nescio an felicissime adinvenerit. Nihil igitur impedire videtur, quominus singularem illam ceremoniam, quam Theodorus adhibuisse fertur, ex infinitis Monotheletarum vocibus manasse suspicemur. Qui quum hæretici Patriarchæ exauctorationem Romæ coram omni populo & clero subsignatam nec ferre nec occultare possent, eo mendacio exornare illam crediderunt opportunum, unde animi Byzantinorum furiosius baccharentur in Romanam Ecclesiam, quæ regiæ urbis antistitem, inaudito ad ea usque tempora in utraque Ecclesia ritu, anathemate confixisset.

XXXVIII. Habes hinc quid sentiendum sit de Theodori in Pyrrhum insolita actione, a Theophane memorata. Infirmo fundamento totam hanc historiam esse superstructam satis, ut arbitror, nec contemnendis argumentis demon-

(a) In Apologia Honorii I. edita Ausugii 1750.

monstravimus : Neque tamen si firmis innixa momentis illa foret, concludi inde posset, Theodorum, Patresque Concilii Constantinopolitani octavi, qui simili ritu in Photii damnatione usi esse dicuntur, realem in Eucharistia præsentiam non credidisse. Tanta fuit horum virorum sanctitas, tamque perspecta & explorata doctrina, ut ab hac absurditate longissime eos absuisse merito existimare debeamus. Quare inepte Protestantes gesta isthæc avide arripuerunt, ut Theodorum & alios negatæ in Eucharistia transsubstantiationis reos incusarent. Sic enim testatur Anonymus Scriptor in Vitis Romanorum Pontificum, quas anno 1738. evulgavit. *Nos auteurs*, inquit (a), *soutiennent cette coutume, qui étoit particuliere aux Grecs, selon le pere Francois Pagi, ne faisoit aucun deshonneur a Jesus Christ. Mais la question est si ceux qui faisoient ce la croient la transubstantiation. Le Protestans le nient, & fondent la dessus des raisons specieuses pour combattre le dogme de la presence reelle*. Sane si quid bene ex Theodori facinore Protestantes colligunt, bene etiam conficietur Gregorii Nazianzeni patrem, atque sororem, tum & magnum Basilium,

(a) In Theodoro.

lium, qui novis plane ritibus aut sacra tractarunt, aut usus in Eucharistiam adhibuerunt insolitos, eos inquam omnes negasse realem Christi præsentiam. Consimili argumentationis vitio & Leonem Papam (a) & Urbanum II. (b) eo quod in consecratione Ecclesiarum, cum reliquiæ desiderarentur, partem Corporalis & Eucharistiæ earum loco posuerint, eosdem Catholica Eucharistiæ dogmata prodidisse, concludendum esset. Et tamen quam constans ac firma fuerit hac de re eorum fides notius est, quam ut hic probetur argumentis. Consule si lubet præter polemicos Scriptores Auctorem Præfationis Tom. III. Operum S. Basilii Parisiensis editionis §. VII.

XXXIX. Neque vero aut Patres hi, aut Theodorus, si verum est in Pyrrhi condemnatione Christi sanguinem atramento commiscuisse, irreverentiæ & impietatis arguendi sunt adversus tam sanctum vivificumque mysterium. Bene ad hanc rem Martenius: *qui antiquos ritus*, inquit (c), *metiri ex hodierna observatione volunt, hi procul dubio his in omnibus debitam*

Sacra

(a) Durandus lib. 1. c. 25. de Ritibus Eccles. Cathol.
(b) Martenius de Antiq. Eccles. Ritib. lib. I. c. 5. & Anonymus de gestis Abb. Maj. Monast.
(c) Loc. cit. c. 5. art. 4. §. 10.

Sacræ Eucharistiæ reverentiam desiderari existimabunt. At longe alia erat veterum opinio, qui nihil exinde honoris Christo debiti detractum censebant. Nec enim nescii erant, Deum fidem & cordis intentionem respicere, non exteriorem nescio quem cultum superstitiosum: Christum in sui corporis & Sanguinis Sacramenti institutione omni vilitati & extremitati se se submisisse: nec magis in corpore humano suo sputa & excrementa bonorari, quam aut vulneri ægroti, aut cadaveri defuncti applicatum. Cæterum nihil ex dignitate solis decedere sive in luto, sive in auro fulgeat. Ut igitur Gregorii pater, ejusque filia Gorgonia, Basilius, Leo, Urbanus, & alii, inusitatis licet modis, summum suum in Eucharistiam amorem, fiduciam, & reverentiam testatam voluerunt, ut antea diximus, sic Theodorus, sic Patres Constantinopolitani Concilii, si in pretioso Christi Sanguine intinctum calamum excommunicationi in hæreticos scribendæ adhibuerunt, peculiari ratione ducti id fecisse censendi sunt, incutiendi nimirum maximi terroris caussa; quæ omnia ne dum ridicula, sed & superflua ac vana prorsus fuissent, sine fide, ac doctrina transubstantiationis, realisque Christi præsentiæ in augustissimo Eucharistiæ Sacramento.

XL.

XL. Sed jam de celebri Pyrrhi damnatione diximus satis multa; pergamus ad cætera. Mos fuit Græcorum, aliorumque Orientalium, ut ad icienda fœdera, dandam fidem, & conciliationem discordium animorum, humanum sanguinem ad potum adhiberent. Id de Scythis tradit Lucianus in Dialogo inscripto Τόξαρις ἢ φιλία, sive *de Amicitia*, ubi inquit: ἀφ' οὗ ἐντεμόντες ἅπαξ τοὺς δακτύλους ἐνσταλάξωμεν τὸ αἷμα εἰς κύλικα, καὶ τὰ ξίφη ἀκραβάψαντες, ἅμα ἀμφότεροι ἐπισχόμενοι, πίωμεν, οὐκ ἔστιν ὅ τι τὸ μετὰ τοῦθ' ἡμᾶς διαλύσειεν ἄν. *Ex quo semel incisis digitis sanguinem in calicem distillaverimus, summisque intinctis gladiis ambo pariter admoventes biberimus, non est quidquam quod deinde queat nos dirimere*. Idem tradit Solinus de Scythis & Medis (a). Hinc cecinit Papinius Statius (b):

..... accingunt sese & mirantia ferro
Pectora, congestisque avide simul undique dextris
Perfringunt, ac dulce nefas in sanguine vivo
Conjurant ....

Et Seneca in Throade (c):

Tibi

(a) C. 25.
(b) Thebaidos Lib. 5.
(c) Act. I. v. 117.

Tibi nostra ferit dextra lacertos
Humerosque ferit tibi sanguineos:

Idem de multis populis scribit Tertullianus (a). De Armenis Valerius Maximus (b), de Brutiis, Aquiliis, & Vitelliis Plutarchus (c). Quod vero de Romanis in conjuratione Catilinæ dubius scripsit Sallustius (d) id fidenter Florus pronunciavit (e): *additum est pignus conjurationis sanguis humanus, quem circumlatum pateris bibere: summum nefas, nisi amplius esset propter quod biberunt*. Vocat Florus illud Catilinæ facinus *summum nefas*, quia usus ceremonia in sacris solum adhiberi solita, ut Sallustius idem innuit, & Silius Italicus sic confirmat (f):

Parte alia supplex infernis Hannibal aris
Arcanum stygia libat cum vate cruorem
Et primo bella Æneadum jurabat ad aras;

Adi Tacitum (g), Melam (h), & alios qui de gentium moribus scripsere. Morem hunc genti-

(a) In Apologet.
(b) Lib. IX.
(c) In Poblic. c. 9.
(d) Bell. Catilin.
(e) In Hist.
(f) De Bel. Panico lib. 2.
(g) Annal. Lib. XII.
(h) Lib. 2. c. 1.

gentilium vetuſtum, eumque tam ferum & barbarum ſanctificare viſi ſunt, populoſque ſic ad ſaniorem diſciplinam perducere circa ſextum Eccleſiæ ſæculum Græci Chriſtiani. Nam loco potionum humani cruoris Euchariſtica myſteria ſubſtituerunt, ut qui nimirum dare fidem, in amicitiam recipere, ac inire fœdera vellent, ſolemni ritu uſuque ſimul Corporis, & Sanguinis Chriſti Sacramentà deguſtarent: Uſus hic ἀδελφοπιςία appellatus eſt; quo nimirum fidem dantes, ineunteſque concordiam jurabant ſibi mutuo ſacro hauſtu *fraternam fidem*. Hac ceremonia Juſtinianus fraternam fidem juravit Vitaliano, viro rebus contra Anaſtaſium Imperatorem proſpere feliciterque geſtis inſigni. Hunc Juſtinianus, Juſtini Imperatoris nepos, veritus ne ſibi impedimento foret ad imperium poſt Juſtini fata capeſſendum, Juſtino ſuſpectum reddidit. At Vitalianus ob affectatam ſub Anaſtaſio tyrannidem ſibi deinde timens, publicam, fraternamque poſtulavit a Juſtiniano fidem, quam hic non ſolum Juſtini nomine dedit, ſed etiam ſuper ſacram menſam, hauſto Chriſti poculo, confirmavit, teſte Procopio (a), qui etiam Vitalia-

(a) Hiſt. Arcan. c. 6.

ni cædem narrat his verbis: αὐτίκα δὲ καὶ Βιταλιανὸν τὸν τύραννον μετεπέμψατο, ὧς δὴ τὰ πιστὰ πρότερον ὑπὲρ τῆς ἀσφαλείας παρέχετο, διαλλαχὼν αὐτῷ καὶ ἐν Χριστιανοῖς μυστηρίων· ὀλίγῳ τε ὕστερον δὲ ὑποψίας αὐτῷ προσκεκρουκότα ξὺν τοῖς ἐπιτηδείοις ἐν παλατίῳ λόγῳ οὐδενὶ διεχρήσατο πίστεις οὕτω δεινοτάτας ἐμπεδῶσαι οὐδαμῇ ἀξιώσας. *Illico vocatum mittit Vitalianum tyrannum fide publica, impunitate promissa, & una susceptis Christianorum mysteriis: paulo deinde post dato suspicioni, atque offensioni loco, eum ac necessarios in aula impie contrucidavit, nihil veritus fidem fallere tam formidandam.* Interfectus est Vitalianus Justini consulatus mense septimo, ut tradit Marcellinus in Chronico. Fuit genere Scytha, ut habet idem Marcellinus; Patricioli autem filius, ut fidem facit Procopius (a).

XLI. Nicolaus Alemannus Strategium ærarii præfectum, cui Appius Ægyptius pater fuit, ut Innocentius Maronianus (b) scribit, Justiniani fratrem appellatum fuisse animadvertit nominarique (c) ἀδελφοποιητὸν; ratione scilicet

(a) Lib. I. de Bello Persico c. 8.
(b) Epist. ad Thematem.
(c) In Hist. templi S. Sophiæ.

licet juratæ mutuo fidei sacris mysteriis. Qui etiam hoc modo jurabant eos ἀγαπητὸς, *fratres* nempe nominare Christiani consueverunt. Ita Felix Papa IV. cum adhuc laicus fraternam fidem Justiniano juravisset, dictus est Ιυςινιανῦ ἀγαπητὸς *Justiniani frater*, ut in Romanorum Pontificum serie græce conscripta observavit idem Alemannus (a). Hac eadem ratione & fide Theodoricus Rex Gothorum Justiniani frater fuit, ut Theophilus Justiniani præceptor explicavit. Plura fortasse fuerunt apud alios hujusce usus vestigia & exempla, quæ aut injuria temporum collapsa sunt, aut ad manus meas certe non pervenerunt. Quæ tamen ex Justiniani historia protuli non modo adrisisse plurimum usum hunc Justiniano commonstrant, sed & in more receptum apud Græcos Christianos tunc temporis fuisse satis luculenter ostendunt. Illa enim nomina, cujusmodi hæc sunt ἀδελφοποιητὸν, ἀγαπητὸς, non ob unum vel alterum factum absque discrimine induci solent, sed ad significandam consuetudinem jam satis pervulgatam.

XLII. Consueverunt etiam Græci, cum darent fidem, acta crucis signo, Christi Sangui-

F 2 ne

(a) In notis ad Hist. Arc. Procopii.

ne effiсto, ſubſignare; vel certe eadem tempore ſacrorum myſteriorum ad Corporis Chriſti Sanguiniſque præſentiam confirmare. Inſigne hujuſce uſus exemplum nobis ſuppeditat Leo Grammaticus in *Chronographia* rerum a recentioribus Imperatoribus geſtarum. Enarratis ſimultatibus, inſidiiſque, quas ſibi invicem ſtruxerant Baſilius Prothoſtrator, a Michaele in Accubitorem electus, & Cæſar Barda, narrat denique modum, quo pax apparenter quidem inita eſt, fideſque Bardæ data a Michaele Imp. ac Baſilio. *Annuntiationis autem feſto*, inquit (a), *ad Eccleſiam quæ eſt in Chalcopratiis, proceſſu facto, peracto ingreſſu, & Evangelio lecto, Photius Patriarcha & Imperator cum Cæſare & Baſilio Accubitore ad catechumena conſcenderunt*: τοῦ Πατριάρχου ἐπὶ χεῖρας ἔχοντος τὸ τίμιον σῶμα καὶ αἷμα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ βάψαντες ὅτε Βασιλεὺς, καὶ ὁ Βασίλειος, τοὺς τιμίους ὑπέγραψαν σταυροὺς *& Patriarcha pretioſum Corpus & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti manibus tenente, calamum intingentes Imperator & Baſilius venerandis crucibus appoſitis ſubſcripſerunt, juramento Cæſari affirmantes eum cum ipſis profectionem poſſe capeſſere.*

(b) Pag. 465. Edit. Pariſ.

pessere. Indicare hæc videntur græcos Cruces sacrato Christi Sanguine confecisse, quas subscriptionibus apponerent ad majorem actis tribuendam vim conciliandamque religionem; quum Leo rem ita referat quasi solita fuisset. Quare verba laudata de Crucibus Christi Sanguine efformatis intellexerunt Mabillonius (a) & Ducangius, qui ait (b): *Interdum quo solemnius, ac firmius esset pactum Cruces ipsæ exarabantur calamo in pretioso Christi Sanguine intincto*. Quod etiam adverterat Combefisius ad ea Leonis grammatici verba βάψαντες κ.τ.λ. inquiens (c): *vivifico nempe calice usi atramenti loco ad horrorem ac religionem Sacramento conciliandam, quam tamen erant fœde violaturi: quin neque alio animo jurabant, quam ut deceptum jurejurando hominem urbe educerent ac necarent. Solus Leo hanc videtur historiam tetigisse*.

XLIII. Meminere tamen ejusdem rei ac ceremoniæ Simeon Logotheta, qui sub Nicephoro Phoca floruit, & Leo Hamartolus seu Peccator, cujus græca verba Allatius recitat (d): τῆς δὲ συνήθους προελεύσεως τοῦ τῆς Θεοτόκου εὐαγγελλισμοῦ, inquit, ἐν τῷ τῶν Χαλκοπρατίων γενο-

(a) De Re diplom. lib. 2. c. 22. §. 21.
(b) Glossar. V. *Crux*.
(c) In notis pag. 671. edit. Paris.
(d) *De Consensu* &c. pag. 1634.

γενομένης ναῷ, ἀνῆλθεν ὁ Πατριάρχης Φώτιος, καὶ ὁ Βασιλεὺς σὺν τῷ Καίσαρι, καὶ Βασιλείῳ παρακοιμωμένῳ ἐν τοῖς κατηχουμένοις· τοῦ δὲ τιμίου σώματος, καὶ αἵματος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ προτεθέντος βάψαντες τὸν κάλαμον ὅ τε Βασιλεὺς, καὶ ὁ Βασιλείος τὸν τύπον τοῦ σεβασμίου σταυροῦ ἑκάτερος ἐχειρογράφησαν, ὅρκῳ βεβαιοῦντες τὸν Καίσαρα ἀφόβως τούτοις συνεξελθεῖν ἐν τῇ κατὰ τῆς Κρήτης ἐκστρατείᾳ. Φανερῶς γὰρ ὁ φιλόσοφος Λέων τῷ Βάρδα παρεγγυᾶτο μὴ συνεξελθεῖν αὐτοῖς. ἐξερχόμενον γὰρ μὴ ὑποστρέφειν ἔλεγεν. h. e. *Consueto Annuntiationis Deiparæ festo, processione facta in Templo, quod est in Chalcopratiis, Photius Patriarcha & Imperator cum Cæsare & Basilio Accubitore ad cathecumena conscenderunt. Tum ibi in medio proposito pretioso Corpore & Sanguine Domini Nostri Jesu Christi Imperator & Basilius calamum intingentes venerandæ crucis signum propriis manibus apposuerunt; Juramento confirmantes Cæsarem sine metu secum posse cum exercitu contra Cretenses proficisci. At manifeste Bardam Cæsarem Leo Philosophus admonebat, ne cum ipsis iret; semel enim egressum non amplius reversurum dicebat.* Puto autem Photium insidiarum Basilii in Bardam Cæsarem prorsus ignarum tam solemni ceremonia procurasse, ut Barda firmiore, quo poterat,

rat ; modo servaretur, cujus opera in Sedem Constantinopolitanam irrepserat. Ita quidem de Photio loqui fas esset, si nihil aliud habuisset, quam aulicam animam & ambitiosum ingenium: Atqui adeo versipellis fuit, tantæque in ejus animo, ut in græco scilicet, fuerunt latebræ, atque recessus, ut nihil certi hac in re de eodem conjicere aut ausim aut velim.

XLIV. Signum vero Crucis, quod nunc temporis a nescientibus scribere actis apponitur, veteres usurpaverunt ad subscriptiones, quamvis docti forent, scribendique artem callerent; quæ enim sancta, & confirmata esse volebant, ea cruce subsignabant. Hinc in anulis sæpe insculpta (a) & majoris momenti rebus apposita (b). Quod etiam ne a re, de qua scribo, longius abscedam, ex S. Ignatio Patriarcha Constantinopolitano confirmatur, qui verberibus lancearumque ictibus vexatus, ut conciliabuli illius acta adprobaret, in quo Photius declaratus fuerat verus germanusque Patriarcha, præsenti animo gerens, quæ mundi Servator pertulerat, proprio cruore in charta

 sibi

(a) Casalius in Syntagmate de insignibus, anulis, fibulis &c. cap. 3.
(b) Gretzerus Lib. I. de Cruce c. 83. & Lib. II. cap. 18.

ſibi oblata crucis ſignum effinxit, quod Photius ceterique ejuſdem flagitiorum ſocii tamquam optati ſuffragii teſtimonium firmum, ratumque interpretati ſunt. Quod ſi crucis ſignum ceu fidei & religionis ſymbolum, uti revera eſt, habebatur, maxima profecto eſſe debuerat Græcorum in eas cruces fides ac veneratio, quæ, ut videtur, Chriſti ſanguine efformabantur. Quod neceſſitate compulſos antiſtites plerumque ut id facerent conceſſiſſe reor, quo gens non omnino fidiſſima inter ſe ſe magis ac magis vinciretur.

XLV. Eodem Euchariſtico calice uſos Armenios fuiſſe ad ſubſcriptiones fœderum indicat Inſtrumentum fœderis, initi, ut fertur, a Conſtantino Magno ac Silveſtro Papa cum Tiridate Armeniorum Rege, horumque Patriarcha D. Gregorio; hæc enim in illo perleguntur (a). *Hoc amicitiæ votum ac fœdus inter nos ſempiternum coram glorioſo Crucis Chriſti vexillo firmavimus; atque in fidem ejuſdem fœderis noſtri firmi & indelebilis hanc utriuſque Occidentalis, & Orientalis nationis fraternitatem tremendo, ac pretioſiſſimo Jeſu Chriſti Sanguine* ſubſcri-

(a) Apud Clem. Galanum p. 1. c. 2. *Conciliationis &c.* Baron. ad a. 311.

subscripsimus, quatenus fidem, amorem & concordiam ita nobis invicem debeamus, quemadmodum & illi, qui frater noster effectus est, Christo Deo. Quamvis suspectum, imo fictum sit hocce fœdus, citatum tamen Instrumentum antiquum est (a), atque recensiti in eo Christi sanguinis usus apud Orientales præcipue vestigia videtur commonstrare. Isaac etiam & Joannes, Episcopi Armenii, in nondum edita Epistola ad Basileense Concilium asserunt se ab Ecclesia Romana accepisse dogma celebrandi in azimo meroque vino, atque *ad perpetuam rei memoriam de vino ipso mero celebrationis dictum dogma scriptum fuisse*, quæ obscura licet verba de Christi Sanguine vir rituum peritissimus Martenius interpretatus est.

XLVI. Apud Latinos unicum, quod ego noverim, exemplum extat subscriptionis cum calice Eucharistico, quando scilicet ante medium sæculi IX. inita concordia est Carolum Calvum inter, & Bernardum Comitem Tolosanum, ut tradit Odo Aribertus in fragmento, quod Stephanus Baluzius evulgavit (b). Hæc enim in illo leguntur: *Pace itaque cum Sanguine*

(a) Diss. de VI. Synodo c. 5.
(b) In notis ad Agobardum Lugd. pag. 129.

guine Eucharistico separatim per Regem & Comitem firmata, & obsignata Bernardus Comes Tolosanus ex Barchinonensi Tolosam venit, & Regem Carolum in cœnobio S. Saturnini juxta Tolosam adoravit. Universim tamen, ex veterum profecto exemplo, opinio manavit ea pacta firmiora fuisse habita, quæ Sanguine proprio fuissent subscripta. Hinc originem habuerunt quorumdam historicorum narrationes, qui ut Dei misericordiam extollerent, peccatorum hominum crimina fortasse exaggeraverunt, affirmantes horum aliquot animam cacodæmoni tradidisse, traditionisque chartam proprio cruore scriptam fuisse. Cæterum ut ut Armeniorum, Latinorumque exempla adducta persuadere aliqua ratione videantur, usitatas apud eos fuisse subscriptiones cum calice Eucharistico, id tamen de græcis non auderem æque confidenter adfirmare; quum Leonis Grammatici, & Leonis Hamartoli dicta non obscure sic excipi possint, ut Bardæ Cæsari fides data sit, & obsignata ad præsentiam sacrorum mysteriorum, Corporis scilicet & Sanguinis Christi; quæ Photius Patriarcha manibus teneret, eos sic tacite, qui fidem dabant, admonendo, ut caverent diligenter & adverterent, cujus in conspectu fidei & concordiæ instrumenta subsignarent.

XLVII.

XLVII. Quam Græci vero ſumere Euchariſtiam conſueverunt, ut hoc ſacro hauſtu, ac cibo fidem darent, eadem latini uſi ſunt, ut hujus ejuſdem ſumptione ſeſe ab objectis criminibus vindicarent. Hæc purgatio inter canonicas olim locum obtinuit. Fiebat autem hoc modo, ut incuſatus criminis alicujus, quod manifeſtis rationibus aut confirmari, aut a ſe nequiret repelli, ad ſacram ſynaxim accederet, & antequam Corpus Dominicum acciperet coram adſtantibus profiteretur: *Corpus Domini ſit mibi ad probationem bodie*. Quo facto non amplius in ejus crimen inquirebatur, dimiſſa cura Deo puniendi hominis, ſi mendax admiſſum facinus negaviſſet. Antiquiſſimum eſſe hunc morem, & quarto Eccleſiæ ſæculo jam uſitatum Chriſtianus Lupus, aliique ſibi perſuaſerunt ex verbis S. Hieronymi, qui de Epiſcopis in Ariminenſi Concilio ab Arianis doloſis vocibus deceptis, ſeque de ipſarum hæreſi excuſantibus ajebat (a): *Conteſtabantur Corpus Domini, & quidquid in Eccleſia ſanctum eſt, ſe nihil mali in ſua fide ſuſpicatos*; quæ, ut quiſque videt, ad jusjurandum referenda ſunt, non ad Euchariſtiam, quam

(a) Adverſus Lucifer. c. 7.

quam sumsissent, ut sui innocentiam comprobarent, dum subdolas eas Arianorum voces admiserunt. Hunc igitur purgationis modum ac usum ante sæculum nonum non obtinuisse arbitror, si conjectura ducatur ab exemplis, quæ post illud tempus in historiis legimus; nimirum apud Gregorium Turonensem, Annales Bertinianos & Metenses, Rheginonem, Marianum Scotum, Sigebertum Gemblacensem & alios. Eucharistia se purgavit A. MLXXVII. Canossæ coram Henrico IV. Germaniæ ac Italiæ Rege Gregorius VII. Factum Lamberti Schafnaburgensis verbis exponam (a): *Papa*, inquit, *Missarum solemnia celebravit, confectaque sacra oblatione Regem cum cætera, quæ frequens aderat, multitudine ad Altare vocavit, præferensque manu Corpus Dominicum, ego, inquit, jam pridem a te, tuisque fautoribus litteras accepi, quibus me insimulabas Sedem Apostolicam per simoniacam hæresim occupasse, & aliis quibusdam tam ante, quam post acceptum Episcopatum criminibus vitam maculasse, quæ mibi secundum scita canonum omnem ad sacros ordines accessum obstruxerint. Et licet multorum idoneorum certe testium adstipulatio-*

(a) Ad A. 1077.

latione crimen refellere queam, eorum scilicet; qui omnem vitæ meæ ab ineunte ætate institutionem integerrime noverunt, & eorum, qui meæ ad Episcopatum promotionis auctores fuerunt, ego tamen ne humana quam divino potius videar uti testimonio, ut satisfactionis compendio omnem omnibus scandali scrupulum de medio auferam, ecce Corpus Dominicum, quod sumturus ero, in experimentum mihi hodie fiat innocentiæ meæ, ut omnipotens Deus suo me hodie judicio vel absolvat objecti criminis suspicione, si innocens sim, vel subitanea interimat morte, si reus. Hæc & alia, ut solemne est, præfatus verba terribilia, quibus Deum caussæ suæ æquissimum judicem & innocentiæ assertorem adesse precabatur, partem Dominici Corporis accepit & comedit. Qua liberrime absumpta, cum populus in Dei laudes, innocentiæ ejus congratulatus, aliquandiu acclamasset, tandem impetrato silentio conversus ad Regem, fac ergo, inquit, Fili, si placet quod me facere vidisti. Verum rea conscientia torquebat Regem, ideoque tremendam hujus purgationis viam admittere non fuit ausus. Quum fere tunc mos fuerit hac uti via ad cognitionem patratorum criminum deficientibus humanis probationibus, id in Gregorii VII.

facto

facto plane singulare accidit ; quod ea uti voluit purgationis ceremonia in magna copia argumentorum, quibus sui innocentiam comprobare poterat. Plura alia extant exempla hujus usus, in Monachorum historiis præcique, quibus intelligimus apud istos fuisse hunc purgationis modum valde usitatum. A nonnullis etiam Conciliis probatus est, cum revera nihil in hac forma purgationis adsit superstitionis (a), nullamque contineat Dei tentationem; vix enim differt *a jurejurando*, quod unum posteriora inde sæcula pro legitima, & canonica purgatione receperunt. Hæ porro atque aliæ satis multæ sese de objectis criminibus purgandi consuetudines a variis purgationum generibus, quæ apud Hebræos fuerunt, originem duxisse videntur. Has inter ea fuit maxime usitata, qua mulieres in matrimonio viventes, adversus mariti de adulterio suspicionem, purgare suam fidem, ac castitatem debebant aquarum amararum maledictarumque potu. Sed cum de his alii jam satis & accurate scripserint (b), nos eas missas facimus, & revertimur ad Græcos.

XLVIII.

(a) Murat. Diss. 38. Antiquit. Medii Ævi.
(b) Seldenus, Wagenseilius, Groddekius & alii.

XLVIII. Ab horum ſanè ſingularibus Eucharistiæ uſibus eximendus haud eſt uſus ille aquam fervidam, peracta conſecratione, in calicem infundendi. Græci namque bis aquam miſcent; ſemel frigidam cum in protheſi ſancta dona præparant; pungente ſacerdote panem ſancta lancea & dicente: *unus militum lancea latus ejus aperuit, ſtatimque exivit ſanguis & aqua*, & Diacono infundente vinum & aquam; deinde calidam poſt conſecrationem immediate ante communionem. Hunc Græcorum ritum quidam e noſtris Theologis ignorantes vel utramque mixtionem confuderunt, ut Eſtius vir alioquin doctiſſimus, vel putarunt Græcos aquam vino non miſcere, ut Guido Carmelita (a). Mixtio hæc aquæ ferventis a Græcis ζέον appellatur. Hoc autem modo ac ordine res tota conficitur. Poſtquam Sacerdos Eucharistici panis particulam in Sanguinem immiſit, Diaconus urceolum æneum aquæ ferventis, quod in protheſi igne, vel cereo ardenti ſuppoſito extabat, eidem porrigit dicens: εὐλόγησον Δέσποτα τὴν ἁγίαν ζέσιν ταύτην: *benedic Domine ſanctam hanc fervidam*. Tum Sacerdos benedicens ait εὐλο-

(a) In lib. de Hæreſ. apud Bonam Rer. liturg. l. 2. c. 9.

εὐλογημένη ἡ ζέσις τῶν ἁγίων σου πάντοτε, νῦν, καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων· ἀμήν. *Benedictus fervor sanctorum tuorum, jugiter, nunc & semper & in saecula saeculorum. Amen.* Tunc Diaconus ter in modum crucis in sanctum calicem aquam fervidam infundit dicens: Ζέσις πίστεως πλήρης πνεύματος ἁγίου· ἀμήν. *Fervor fidei plenus Spiritu Sancto. Amen.* Hæc quidem ex Chrysostomi Liturgia, cui fortasse addita antiquitus hæc sunt, quum ad Liturgiæ οὐσίαν minime pertineant. Morem tamen hunc in divina Liturgia à CPna. Ponticis, Asianisque Ecclesiis sæculo saltem sexto currente observari solitum comperit Lequienius (a) ex narratione de Rebus Armeniæ, quam Combefisius evulgavit (b). Eumdem ritum exposuit in *Ecclesiastica & Mystica Theoria* S. Germanus I., Archiepiscopus CP. sæculo octavo ineunte, ejusque rationem dat; aquæ nimirum calidæ, quæ una cum Sanguine e Christi latere effluxit, significandæ caussa. Video tamen id etiam a Græcis significari cum primo aquam miscent, ut ex verbis Sacerdotis lancea panem pungentis colligitur. Alii alias hujusce usus rationes

excogi-

(a) In Panoplia pag. 431.
(b) Tom. 2. Actuar. Bibl. Græc. PP.

excogitarunt. Sed his missis eam audire præstat, quam Nicolaus Cabasilas adducit apud Goarium (a) qui eam probat: *Cum hactenus*, ait, *in totius liturgiæ serie Christum ut annis provectum, mox vero crucifixum, fuerimus contemplati, oportet & quæ secuta sunt, symbolis aliquibus significari, ut sit undequaque integra mysterii significatio. Quod vero opus & quid effectus Christi passionum & sermonum & operum? Si prout ad nos spectant hæc ea quis consideret, nihil aliud est quam Spiritus Sancti in Ecclesiam adventus. Oportebat ergo eum post illa significari. Atque is quidem significatur aqua calida in mysteria infusa. Hæc enim aqua cum & aquæ naturam habeat, & ignis sit particeps, significat Spiritum Sanctum qui & aqua dicitur, & tamquam ignis in Christi discipulos dilapsus apparuit. Tunc enim descendit, postquam omnia, quæ ad Christum spectabant, consummata fuere, nunc autem perfectis & consecratis donis corpus Christi & membra ex parte habet, quæ & tunc Spiritum Sanctum acceperunt*. Quæ Cabasilæ cogitata confirmantur Sacerdotis aquam calidam benedicentis & Diaconi illam infundentis orationibus, quas ad-

G tuli-

(a) N. 167. ad Chrysost. Miss.

tulimus ex Chrysostomi Liturgia: Græcorum proprius hic ritus est. A Cophtis, Syris, Jacobitis, ac etiam Nestorianis ignoratur, ex quo colligi posse videtur hanc ceremoniam non esse antiquiorem divisione harum Ecclesiarum; quum reliquos, qui antea usurpabantur, ritus retinuerint.

XLIX. Humbertus Cardinalis adversus hunc usum, uti & alterum porrigendi cochleari Eucharistiam, aliasque innoxias consuetudines Græcorum, quasi de summa Christianæ Reipublicæ ageretur, multum conviciorum effudit, Græcosque in ritibus exagitavit, quos minime intelligebat; non advertens, ut debuerat, illa omnia communem originem habere, eximiam scilicet in Eucharistiæ Sacramentum reverentiam, & mysticas præseferre significationes, illustrium Ecclesiarum, sanctorumque insignium virorum suffragiis adprobatas. Alii etiam post Humbertum, perspectum non habentes modum, quo ritus ille aquæ fervidæ a Græcis adhibetur, eumdem damnaverunt; ea inter cæteras præcipua, sed tamen neutiquam probabili de caussa, quod nihil sanguini sit admiscendum, ne Sacramenti corruptio consequatur. Quæ adeo multorum animos pervaserunt, ut eadem adversus Græcos in Concilio

Floren-

Florentino urgere non dubitarint, atque acrem iis litem intendere. His respondit Dorothæus, Mythilinensis Episcopus, & Eugenio Papæ IV. abunde luculenterque satisfecit. Græci Antistitis responsa nobis invidit Actorum Concilii scriptor. Suspicor eumdem latinos levitatis incusasse, qui metu corruptionis illam rejicerent, ac culparent consuetudinem, quum ipsi ceteroquin ritu in Romana Ecclesia aliquando receptissimo & sæculo XIII. adhuc in Galliis perdurante, vinum purum in calices ministeriales, in quibus aliquid sanguinis reservabatur, infunderent, ut communicantes inde sumerent (a), quin tamen crederent, aut timerent sanguinis ex magna vini copia corruptionem sequi. Sed de his alias fortasse disseremus,

L. Recens potius videtur instituta altera Græcorum consuetudo, præsanctificatum nimirum ægrotorum panem Christi Sanguine tingendi. Panem hunc Græci nonnisi semel in anno, feria scilicet quinta in Cœna Domini, consecrant, & cochleari in crucis modum San-

(a) De hoc usu differit Ciampinius cap. VIII. conject. de azymo &c. & Mabillonius in Comment. ad Ord. Rom.

guine respergunt, ac deinde pro ægrotis seponunt, unde παρακαταθήκη nominatur. Nulla hujusce usus mentio habetur in illorum Liturgiis, & antiquis auctoribus; imo eorumdem schismate esse recentiorem colligitur ex Michaele Cerulario, divisionis Ecclesiarum coriphæo, qui in libro Apologetico pro Officio præsanctificatorum asserit *nullam in panibus reservatis infundi guttam sanguinis*. Eumdem usum severiori nota damnavit Arcudius (a), non uno ex capite, tum eo præcipue reprehendendus, quod græcus cum esset gentis suæ usum pessime exposuit, affirmando illos particulas sanguine tinctas furni vel solis calore exsiccare, cum sit exploratum eos (b) vivo igne acerræ sacratæ sacro disco subjectæ, cui species panis sanguine tincti religiose sunt impositæ, cunctum humorem ex iisdem exprimere, & hoc modo induratas ad annum conservare pro communione infirmorum. Nectarius Patriarcha Hierosolymitanus in libro inscripto περὶ ἀρχῆς τοῦ Πάπα *De Principatu Papæ*

(a) Lib. 3. c. 17. Concord.

(b) Goarius N. 180. in Miss. Chrysost. & N. 32. in Off. Præsanctificat.

Papa (a), qui anno 1682. Jasii in Moldavia græce editus est, & latine inde redditus, vulgatusque Londini a Petro Allixio, narrat hostiam quandam, quæ nigrorem ex mucore contraxerat, cum in sacro disco acerræ imposita fuisset, insolito odore templum omne perfudisse.

LI. Græci autem recentiores hunc usum invexerunt, aut repræsentandæ Christi passionis sanguinisque in ligno Crucis effusi gratia, quum tingant hostiam duabus cruciculis insignitam, uti observare licet in schemate, quo ex Goario & Sirmundo Commentarii hujus frontem ornavimus; vel Christi resurrectionis indicandæ caussa, quam omnes Liturgiæ græcæ juxta ac latinæ mixtione Corporis & Sanguinis Christi in calice figurant. Quum enim Christi Domini mors sanguinis effusione contigerit, madefactio illa hostiæ ejusdem sanguine apta judicari potuit ad significandum

(a) Cum quidam Franciscanus Doctor huic Nectarii libro respondisset, & Romanæ Ecclesiæ caussam prodidisset, eidem Nectario denuo novam Apologiam opposuit Michael Lequienus, & Parisiis A. 1718. evulgavit cum hoc titulo: *Stephani de Altimura Ponticensis Panoplia contra Schisma Græcorum, qua Romana & Occidentalis Ecclesia defenditur adversus criminationes Nectarii &c.* Opus indicare voluimus egregium quidem, sed Theologis nostris minus notum.

quomodo Deus homo vitam denuo assumpserit. Volunt Protestantes Græcos hoc usu significare reipsa, se infirmis communionem sub utraque specie porrigere. Quod etiamsi verum esset, Protestantes adhuc non adsequuntur quod volunt, ut ait Bossuetus (a): *ce n'est pas donner a boire le sang de notre seigneur, comme il est porte dans l'Evangile, ni marquer la separation dù corps & du sang, qui seule persuade à nos reformez, la necessitè des deux especes.*

LII. Quamquam vero Græci hodierni in communionem sub utraque specie propensiores videantur, hac tamen etiam in re, ut in multis aliis fidei & disciplinæ capitibus, a majorum doctrina recesserunt. Plura extant in Ecclesiastica eorumdem historia exempla, plane comprobantia primis temporibus apud ipsos communionem sub sola specie panis fuisse administratam. Nos uno erimus contenti, quod ex epistola Dionysii Alexandrini ad Fabium recitat Eusebius (b). *Erat*, inquit, *in hac urbe Serapion quidam senex e numero fidelium; qui reliquo quidem anteacta vitæ tempore nulli culpæ*

(a) Loc. cit.
(b) Hist. lib. 6. c. 44.

culpæ obnoxius fuerat. Sed in persecutione lapsus, sæpe numero veniam petierat: nec quisquam ei attendebat, eo quod sacrificasset. Idem morbo correptus, vocis usu sensuque omni carens triduo permansit. Quarto demum die paululum recreatus, nepotem ex filia ad se vocat: & quo usque tandem, inquit, me detinetis, fili? Properate quæso, & me quantocyus absolvite. Accerse mihi unum ex Presbyteris. Hæc cum dixisset, rursum illum vox destituit. Puer ad Presbyterum cucurrit. Jam nox erat: Presbyter autem ægrotabat; sed quoniam in mandatis dederam, ut morituris si peterent, & maxime si antea suppliciter postulassent, venia indulgeretur, quo bonæ spei pleni ex hac vita migrarent; exiguam Eucharistiæ partem puero tradidit, jubens ut in aqua intinctam seni in os instillaret; βραχὺ τῆς εὐχαριστίας ἐπέδωκεν τῷ παιδαρίῳ ἀποβρέξαι κελεύσας· καὶ τῷ πρεσβύτῃ κατὰ τοῦ στόματος ἐπιστάξαι. κ. τ. λ. *Redit igitur puer bucellam afferens. Et cum appropinquaret, priusquam ingrederetur; recreatus iterum senex: venisti, inquit, fili. Ac Presbyter quidem ipse venire non potuit. Tu vero fac citius, quod imperatum est, & dimitte me. Mox puer bucellam intinxit, & in os senis infudit. Qui ea paulatim absorpta, continuo ani-*

animam exhalavit . Variæ extant in celebre hoc factum doctorum virorum Valesii , Bossueti, aliorumque animadversiones, quæ ostendunt sub unica tantum specie infirmos apud Orientales communicari consuevisse . His addam ego non fuisse necesse Presbyterum puero præcipere , ut traditam Eucharistiæ partem madefaceret, si sanguinem quoque recepisset. Sed hæc vero facta sunt secundum receptissimum utriusque Ecclesiæ morem, quum vini species diu conservari non possent , & etiam ne sanguis ad infirmos deferendus facillime effunderetur.

LIII. Utrum vero intinctio illa , cujus in memorata Serapionis historia mentio fit , in vino , an in aqua fieret , inquirendum est . Verbum illud Eusebii ἀποβρέξαι Ruffinus vertit *quod infusum &c.* ; Valesius autem interpretatus est *in aqua intinctam* ; eo quia solerent veteres panem benedictum in aqua madefacere , quemadmodum ipse innuit in adnot., quam laudato Eusebii loco subjecit . Sed nihil obstat quominus verti etiam possit , *in vino intinctam* , quod verbo ἀποβρέξαι æque aptari potest , & convenit etiam hodiernæ Græcorum disciplinæ, teste Smithio (a). Idem usus

(a) De Græcæ Eccl. hod. statu p. 130. 2. edit. Lond.

ſus particulas ſcilicet vino communi reſpergendi in occidente etiam viguit (a). Canone etiam primo Concilii Bracarenſis celebrati A. 675. cautum fuit *ne Euchariſtia vino madida pro complemento communionis porrigeretur*; quibus verbis, ut ego exiſtimo, indicatur crediſſe aliquos vino, quo Euchariſtia ſoleret madefieri, perfectam communionem fuiſſe; ac propterea Concilium hanc intinctionem prohibuiſſe, ne inde erroris occaſio a vulgo ac plebe caperetur. Vini etiam uſum in panis Euchariſtici intinctione habemus in ſtatutis Cluniacenſibus (b) ubi communio moribundi ita deſcribitur: *Sacerdos Corpus Domini incenſat, frangit, & partem quam allaturus eſt ſuper calicem tenet, & tam ipſe calix, quam manus Sacerdotis linteolo candidiſſimo cooperitur. Interea curatur, ut infirmi bucca lavetur, recepturi ipſum corpus Domini, quod recipit vino intinctum, quo epotato ebibit quoque ablutionem calicis*; ne videlicet, inquit Bona (c) aliquod fragmentum in eo remaneret. Nondum

(a) Burchard. in Collect. Can. lib. 5. c. 9. Ivo Carnot. Decret. p. 2. c. 19. Bona Rer. Liturg. lib. 2. c. 18. & cit. ſup. Canon Concilii Matiſcotenſis.
(b) Lib. 3. c. 28.
(c) Loc. cit.

dum enim in ufu erat panis ille tenuiffimus, quo nunc utimur in facris myfteriis conficiundis.

LIV. De intinctione panis Euchariftici five in vino, five in aqua intelligendus eft canon 76. Concilii IV. Carthaginienfis A. 398. celebrati, atque ob 214. Epifcoporum, ipfiufque Auguftini præfentiam celeberrimi. In eo ita effe agendum cum morti proximo, aut phrenetico Patres præcipiunt: *is qui pœnitentiam in infirmitate petit, fi cafu, dum Sacerdos ad eum invitatus venit, oppreffus in infirmitate obmutuerit, vel in phrenefim verfus fuerit, donent teftimonium, qui audierint, & accipiat pœnitentiam. Et fi continuo moriturus creditur, reconcilietur per manus impofitionem & infundatur ori ejus Euchariftia.* Quæ de pane Euchariftico aqua vel vino madefacto, ut facilius a phrenetico deglutiretur, interpretari fas eft; nifi velis manifefto adeo periculo effufionis Chrifti Sanguinem exponendum effe Patres Carthaginienfes præcepiffe. Male ergo ea verba *& infundatur ori ejus Euchariftia* de Sanguine Chrifti, qui tunc temporis fervaretur, Francifcus Berlendius intellexit (a).

LV.

(a) De Oblat. ad Altare §. 3. n. 10.

LV. Æque infirmum eſt allud, quo utitur, argumentum ad idem demonſtrandum, ex Joannis Chryſoſtomi Epiſtola ad Innocentium I. deſumptum, in qua narrat dum ipſe Sabbatho Sancto e Sede ſua Conſtantinopolitana expulſus eſt *Chriſti Sanguinem ſuper veſtes militum effuſum fuiſſe*, quod evenire non potuiſſet, ſi ſanguis in Eccleſia Conſtantinopolitana tunc non fuiſſet conſervatus. Sed diverſa prorſus ratione Chryſoſtomi narratio excipienda eſt. Hac ſiquidem in Epiſtola Chryſoſtomus certiorem facit Innocentium, milites, quos inter aliqui erant non Chriſtiani, in Eccleſiam eſſe ingreſſos, quando baptiſma conferebatur; ait enim de mulieribus, jam jam baptizandis (a): καὶ γυναῖκες τῶν ἐκκλησιῶν οἴκων πρὸς τὸ Βάπτισμα ἀποδυσάμεναι κατ' αὐτὸν τὸν καιρὸν γυμναὶ ἔφυγον ὑπὸ φόβου τῆς χαλεπῆς ταύτης ἐφόδου. *Mulieres quoque ſacrarum ædium, quæ per illud tempus ſe exuerant, ut baptizarentur, metu gravis iſtius incurſus nudæ aufugerunt.* Tempore proinde Liturgiæ accidit hoc factum, militumque incurſus, cum tempore baptiſmi ſolemnis celebrari etiam ſoleret Liturgia, ut bapti-

(a) Cit. Epiſt. ad Innoc. T. III. *Operum*. pag. 519. edit. Pariſ.

baptizati illico etiam confirmati ſtatim communicarentur. *Il faut*, ait Renaudotius (a) *ignorer la diſcipline ancienne pour ne pas ſçavoir, qu' on celebroit en meſme temps la liturgie, & qu' on communioit enſuite les noveaux baptiſez*. Cum igitur Liturgiæ tempore in Eccleſiam contigerit militum incurſus, qui ſacra profanarunt, & ſus deque omnia miſcuerunt, mirum haud eſſe debet ſi etiam Sanguis Dominicus, eo tempore in Liturgia confectus, ſupra veſtes militum effuſus eſt. Igitur militum facinus a Chryſoſtomo relatum non probat Sanguinem tunc temporis in Eccleſia Conſtantinopolitana fuiſſe conſervatum, ut Berlendius putat. Sed vir doctus a Bellarmino fortaſſe deceptus eſt, qui quamvis noſſet id tempore collationis ſolemnis baptiſmi contigiſſe, non advertit diverſos catechumenorum gradus, nec tunc temporis celebratam fuiſſe Liturgiam, ac propterea eodem argumento eſt uſus (b) ad probandum primis Eccleſiæ temporibus panem Euchariſticum conſervatum fuiſſe. Quod argumentum ſane nimis etiam probaret; nam

eo

(a) *Perpetuitè de la Foi &c.* Liv. VIII. chap. IV. pag. 589.
(b) Lib. IV. de Euchariſtia c. 4.

eo evinceretur quoque Sanguinem esse adservatum, quod abhorret a cura, quam Ecclesia perpetuo habuit, ne acesceret. Hæc quidem dissimulanda non esse duximus; nam cum plura certa & firma argumenta sint, quæ Ecclesiæ disciplinam Christi Corporis conservandi pro ægrotis, aliisque de caussis testantur, ea momenta non sunt adversus Sacramentarios urgenda, quæ aut infirma sunt, aut eludi facillime possunt. Descriptos vero hactenus singulares in Græcorum Ecclesias in tanta fidei unitate usus irrepsisse primis temporibus mirandum haud est. Dispares diversarum nationum mores & ingenia sunt; quæ uti diversas consuetudines & usus in rebus politicis, sic videntur in Ecclesiasticis etiam novas ceremonias ritusque postulare. Quum primum tamen Patres in Conciliis cogi potuere, usus plerique sublati sunt, nec ultra concessum ut diversitas sensuum humanorum, quæ infinitarum varietatum fons est, ultra quam fas esset, excurreret & vagaretur.

Atque hic finem huic Commentario imponimus, rogamusque eos, qui hæc nostra perlegerint, ut disciplinæ veteris memores esse non dedignentur, ne aut nos de Græcorum abusibus librum confecisse judicemur, aut

ipsi

ipsi tamquam de sacra antiquitate pessime meriti rideantur, quod nihil unquam ab hodiernis moribus diversum fuisse velint, aut condemnanda esse omnia putent, quæ cum iis non conveniunt, quæ nunc temporis peraguntur. Quæ si adsequemur, ut profecto ab æquis humanisque lectoribus nobis sperare licet ac decet, plane confidimus quæ hactenus de singularibus veterum Græcorum usibus disputavimus, eos esse saltem benigne excepturos, qui præter magna ac mirabilia, præter se ac sua, probare etiam aliquid aliud interdum solent.

FINIS.

